

**www.e-rara.ch**

**Ecclesiastica Historia, sive Metropolis**

**Krantz, Albert**

**Basileae, [um 1552]**

**Universitätsbibliothek Basel**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-2832>

Liber decimus

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [\[Link\]](#)

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [\[Link\]](#)

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [\[Link\]](#)

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [\[Link\]](#)

pum. Coierāt in societatem eius belli cum Magno duce, Theodoricus Magdeburgensis, Albertus Halberstandēsis, duo comites de Anholt, comites de Querforde, barones de Hamerschleue, omnium armorū apparatu cōtracto. Id erat in agmine roboris, id fiducia, ut hostes obuios aspectu terrificarent. Quid faceret Gerhardus? In eius ditione tonabant armis, incēdio grassabantur: non erat quod diutius aspectaret. Armauit ciues urbis suæ, & ex ministerialibus suis, quāto scunq; potuit euocauit: expeditum habuit exercitum, sed nequaquam numero aut uiribus parem hostili. Sed erat fiducia magna, & animus inuictus: causam ecclesiæ Deo & diuæ Mariæ patronæ commendabat: & progressus in prælium, constitit ex aduerso iuxta Dingeber. Signa sonuere, concurrūt infestis hastis, miscent utrinq; manus. Non longum tempus, in medio Gerhardus numero pugnantium inferior, fit robore superior: cædit, capit obuios, Magnus ipse dux capitur. Quod ubi innotuit, fuga de illius exercitu effusa committitur. Albertus quoque Halberstadensis capitur. Comes de Querforde, Magdeburgensis canonicus, & baro de Hamerschleue pugnantes cadunt. Victoria insignis erat Hildesemensium. Tantum aurī conflauit ex uictoria de præda, de redemptione captiuorū, ut domum Cartusie fundaret ab imo, & arces duas, quod diximus, adderet his quæ antè multæ extiterant, Magnus dux, ut se captiuitate redimeret, uendit principatū de Landesberge & Hongerhusen, quem ex matre habuit hæreditariū. Viuebat in hunc usq; diem Vuilhelmus dux Lunenburgensis, qui ualetudine aduersa, imbecilli erat corpore: ideoq; Ludouico genero ducatum permisit. quo etiam moriente, permisit ut Magnus iunior ad eam ditionem perueniret, malens Brunswici principibus, quā Saxoniæ duci, qui alteram eius filiam tenebat, cedere principatū. Prope idem tempus & Magnus Magni pater, rebus humanis excessit. qui filij temeritatem, & improspera bella, semper accusabat: sed ferox iuuenis neq; patrem, neq; alium quemuis audiuit, pessimam ducem sequutus, suam temeritatē, quæ illum sæpe in pericula misit, sæpe contrusit in maxima damna: & finaliter illum, quod dicemus, perdidit. Sed hic sit huius uoluminis modus.

## FINIS LIB. NONI.

## LIBER DECIMVS

## CAPVT I.



**D**VAE metropoles, quas solas & ambas describimus, uno penē tempore uacauere, Magdeburgensis atq; Bremensis ecclesia. Nam Theodoricus Magdeburgēsis archiepiscopus, post aliquot annorum interuallum ad ecclesiam suam reuersus, septimo assumptionis anno migravit ad Dominum, sepultus in ecclesia sua. Postularunt canonici Meriburgensem episcopum: sed præuenit eos Albertus de Sterneberg, pridem, ut arbitror, episcopus Suerinensis, nunc fauore ac prouectione Imperatoris assumptus in ecclesiam Magdeburgensem. Capitulū Apostolicæ prouisioni refragari non potuit. Ciuitas tamen peregrinum dominum Bohemia natum, difficulter admisit. Sed quid faceret, superata suorum autoritate maiorū? Quatuor annis præfuit: & tum exorta simultate inter eum & ciuitatem suam, quod turrim in eius, ut apparuit, præiudicium erectā demoliri iuberētur, nec parebant. Obnixæ erant partes, cedere non ualentes: nec Archiepiscopus relaxare uoluit mādatum, nec ciuitas demoliri præsidium. Videbatur res in apertum bellum exitura.

**A** exitura. Sed inuenit Albertus ei rei facile remediū, permutās ecclesiam Magdeburgensem altera, quā esset in patria sua Bohemia. Quo tempore Otho dux de Brunsvico, qui Gottingensem terram ditione tenebat, arcem Hercyniā Hartesburg, de qua ab olim multae fuere quaestiones, expedito agmine petiuit: occultosq; monstrante famulo qui in ea diu seruierat, inuenit, & noctu clam cōprehendit, & occupauit. Primo mane cōparatis uehiculis, arma & cōmeatus curabat inuehi. Iam cōuenerāt ministeriales Hildesemensis ecclesiae, ex quorū numero fuere qui illā amiserūt, ut reciperent occupatā arcē ui & manu. Otho ubi intellexit se numero superari, prudēter declinauit, citato agmine petens Alueldiā, quā noctu cōprehendit. ubi audierāt ministeriales ecclesiae tā magnū esse factū ecclesiae prauidiciū, cōuerso & ipsi agmine, ducem sequunt, dimissa arce quā petebāt. Ibi pacto inter partes inito, Alueldia reddi ecclesiae: ipsi ministeriales etiā adiutare armis ex formula iubent, ut firmet à se captam arcem. Nec diu post idem dux cum ex hostiū terris cum praeda rediret, pernoctabat ad uicina arcis Leuenburg, quam ministeriales de Suichelen tenuerūt. Confedit ibi pernoctans: inuitatur ab arcis praefectis, ut quoniā festa esset diuī Martini uigilia, dignaretur apud illos epulari cum suis. Noluī dux grauare illos. urgent: cedit, lautē excipitur. Mane profecturus, aurum exhibet cum gratitudine: recusant accipere, honorātes ea re magnificam nobilitatem eius. Ille uerò, quòd commodi uiderentur futuri custodes, arcem pridem captam Hartesburg illis permittit, incertum qua lege, & tenent posteri in hodiernum.

## CAPUT II.

**B** Remensi quoq; metropoli per idem tempus alius Albertus post Godfridum praeficitur: filius erat Magni ducis de Brunsvico senioris, frater minoris Magni, qui oēs tū tenuit inquietos. Albertus autē pridē erat & Magdeburgensis & Bremēsis canonicus, oculo alternans in utranq; ecclesiam: et prouenit illi Bremensis, uiuente adhuc Godfrido. prouenit autem hoc ordine. Annisus erat, ut diximus, Gerardus de Hoia Comes, infestus Bremensibus, ut Magnus dux Alberti pater Bremensibus bellum indiceret: hoc si faceret, obsequijs se apud ducem compensaturum. Recusabat dux, donec intelligeret quid inde speraret. effecturum se comes pollicetur, ut filius eius Albertus archiepiscopatum assequeretur. Hoc, inquit ille, si effeceris, faciam quod hortaris. Egīt comes apud Godfredum archiepiscopū, & ille apud capitulum, ut cōsentirent: sed Mauricius de Oldenburg comes, iam dudum administrator ecclesiae, formidinem illis iniēcit, quo minus facerent: misit tamen capitulum duos ex suis ad Albertum, qui cum illo agerent. Transacta res est amicissimē: ducali magnificentia remunerati redibant. Duobus annis apud sedem Apostolicam in Auinione agebatur causa, priusquam confirmaretur. Vbi innotuit confirmatio duci Magno, cōcepit cum capitulo & ciuitate de pace agere. Nunciauerat enim hostilia ciuitati, propter comitem de Hoia. Conueniant in Vualdefrade. Ibi dux interposita compositione, compleuit rem omnem inter comitem & ciuitatē. Magno ibi splendore feruntur paruisse Bremenses, multis militaribus ad iter conductis, & ex ciuibus iuuenes cōspicuos habitu & armis instruebant. Ergo productis literis cōfirmationis pro Alberto filio, capitulum contradicere non potuit: homagium à ciuibus pro illo deposcitur. Responsum est, durare adhuc sacramenta quae Mauricio praestitissent: quae nisi prius laxarentur, non possent alij obligari. Mittitur ad eundem Mauriciū legatio, ut ostensis Apostolicae prouisionis literis, cum mansuetudine duceretur ad parendum mandatis ecclesiae. Ille ubi uidit, admiratione aliquandiu mutus stetit: inde infremuit, non hoc deposcere Bremensium à se beneficia, sua in illos merita. Quid multa: flecti non potuit, legatio

uana fuit, ad arma concurrat senior Magnus cum filio, obsidet arcem Vorda, ibi instituta oppugnatione, aliquot cadunt militares. Post multa paciscuntur, ut Mauricius cedat arcibus ecclesie, remittat iuramenta Bremensibus: arcem Hagen illi quoad uiuit, permittant. Quibus ita compositis, toto armorum splendore tenditur Brema: euocatur ciuitatis consilium ad prestandum confirmate homagium. Emittunt duos consulares camerarios, qui consilij nomine sacramenta prestant. Displicuit forma rei gerenda principibus: sed cum consuetudinem aliam non inuenirent in loco, abierunt contenti. Redditur illis promissio sigillata de seruandis libertatibus, & priuilegijs illorum. Introducitur archiepiscopus magno armorum splendore in urbem, & ingenti apparatu excipitur, sacris concinentibus per ecclesiam, & conuiuiorum apparatu cunctis magnifice perstreperibus.

## CAPVT III.

**I**Nurbe Brema per eam tempestatem uiuebat & uigebat adhuc in populo grauis illa diuisio, quae Grandis societas dicebatur, opponens se consilio publico, pro indictione collectae ad redimendos ciues captiuos, quos adhuc retinebat comes de Hoia. Senatus cum mercatoribus & magna ciuium parte indixit & subiit collectam: seditiosi non contenti recusare, ad arma conclamabant, productis de nauis quisque sua bannerijs pro signis militaribus, plebem uocant ad arma: concurrunt in domos consularium, quaeruntur ad mortem, ensibus scrutantur tumultuantes in abditis locis. Senatus immisso de foris armatorum praesidio, urbis portas iubet serari. Dant signum e turri, ad arma uocantur boni ciues senatui inhaerentes: iam uersa fortuna, requiruntur seditiosi: comprehensi, ad iudicium publicum perducuntur. datur sententia in eos sanguinis & ut confiscentur bona. ceduntur gladio qui capti sunt, alij proscribuntur. Decem & octo erant principaliores, qui aut caederentur, aut proscriberentur: ignoscitur imperitiae multitudini. Sed non erat ibi finis malorum. nam proscripti foris cum archiepiscopo, intus cum amicis secreto agunt, ut ciuitas in plenas manus, & omnimodam potestatem ueniat archiepiscopi. Ioannes Holman insignis latro, diu pirata, in hac tumultuatione secunda principatum agebat. Nauibus impositi multi ex eius complicibus pro flumine de sursum introducunt archiepiscopum cum expeditis armatis: proditores de intus portas referant, noctu capitur ciuitas. Cum in forum prodissent, intonuit Holman in medio multitudinis ciuium concurrentium, uenisse archiepiscopum, ut nimiam potentiam & uolentiam insolescentis senatus domaret, iura restitueret, unicuique sua seruaret. Qui libertatem seruituti praeferrent, agglomerarentur lateri eius. Rediisse cum illo diu peregrinantem ciuium immunitatem. Ea uox simplices multos decepit. Viri boni partim ad arma concurrunt pro libertate, capiunt, ceduntur, male habentur qui se non coniungunt archiepiscopo, multi elabuntur. Erat uir consularis, qui neglecta hereditate propria & priuatis commodis, literas archiepiscopi quibus promissa ciuitati firmauerat, apprehendit: & illo uelut ingenti thesauro animatus, urbe egreditur. Ingressi castella, firmant opportunis locis in orientali porta, in lapidea domo ad Vuiferam inuehunt commeatus undecunq; sumptos: nox plurimos animauit. Orta luce cum uideret populus rem aliter ac promissa sit per proditores agi, poenitentia tanguntur, quod illis paruerint: sed interim silent, cum toto fere mense spolijs & incendijs urbs uastaretur: coniurati qui pontificem introduxerunt, consilium inierunt ut archiepiscopum qualicumq; a se conditione dimitterent, quod onerosus, nec necessarius ciuitati uideretur. Multa ei permessa uectigalia, pecunia prompta numeratur, & quicquid poposcit ut abiret, accepit. Abiit, & iam rem omnem proditores in manu habere uidebantur, cum interim dilapsi boni ciues, ad comites in Delmenhorst

**A** menhorst atq; Oldenburg confugiunt. Horum comitū consilio et armis freti, deliberabant, quomodo ciuitatem eriperent de manibus seditiosorū. Secretò mittunt in urbem ad amicos, docent quid moliantur, quid ue poscant. cum omnia cōstarent ex sententia, iam penē securis proditoribus illis, irrupunt hi qui antè dilapsi fuere, aucti armis ceterorū. Conradus comes de Oldenburg ualida stipatus manu aderat. Qui intus fuere uiri boni, portas referant: mactantur obuij quiq; ex seditiosis, capita caesorum suis cuiusq; in foribus appenduntur. fœminæ quæ archiepiscopum iam iterum ad arma uocasse dicerentur, sine discrimine cæduntur. Holman cum omni familia sua cæsus, insigni spectaculo pendeat ad fores suas. Prefecti præsidij impositi, pacè impunitatem, discedere sinuntur: ita redempta est denuò ciuitas de manibus perditorū. Vulgus in utranq; partem mobile, quod uictoribus solet inhærere, non tunc potuit non timere. Erant ex hoc grege fidentiores, qui legatione omnium suscepta, ad comitem & patres reuersos in urbem, ueniam precabantur imperitæ multitudini: allegabant culpam residere penes consilium publicum: quia non in seueritate, sed mansuetudine rem egissent, aluissent multorum audaciam. Quod si in tempore malis occurrissent, cæsis principibus, non esset in ea mala peruentū. Ignotum est multitudini, renouatum est iuramentum à ciuibus sæpe præstitum, nunquam se aduersus publicū ciuitatis consilium facturos. Ita misera ciuitas inter ciuium suorum manus lacerata, ad eam tenuitatem peruenit, quam forenses inimici nunquam inuexissent. Dicit non potest, quos sumptus, quos labores impenderunt: æstimationem res non accipit, quæ ad infinitum uadit.

## CAPVT IIII.

**O**snaburgensis ecclesia cum uacaret, facta translatione Godfridi ad ecclesiam Bremensem, quærebatur qui succederet loco & ordine trigelimus sextus. Erant illa tempestate insignes uiri canonici Osnaburgenses, Doctor Lubertus Vuend, & dominus Arnoldus cantor, contēpto seculo in cœnobio campi sanctæ Mariæ, cōuersionis gratia, ordinem Cisterciensem sumpsere: ex quibus in nouitiatu electus D. Lubertus ad ecclesiā Osnaburgensem, reuinit, & in religione sacra permansit, Deo inibi seruiens per annos uigintifex. Per hanc moram prouidit sedes Apostolica M. Ioanni Hoed decretorum doctori. Res erat insolita & noua, & ideo sine turbatione fieri non potuit animorum, & tamen quid facerent? digna erat loco persona: non tamen ingressa per hostium solitum liberæ electionis. Habebant autem exemplum proximi domini, Luduici de Hassia comitis, qui per eandem uiam prouisionis Apostolicæ, ad suam Monasteriensem peruenit. Fuit tum in Imperio Romano Carolus quartus Bohemus, qui ecclesiasticæ prospiciens libertati, dedit Carolinam constitutionem, quæ multis seruat in locis, sub aurea bulla. Prouidit ergo dominus Ioannes episcopus, ut apud suam ecclesiam haberetur. Inuestiuit idem pontifex multos nobiles & militares de feudis ecclesiæ, per manum D. Conradi de Essem, decani. Non detractauere comites accipere feudum de manu pontificis plebei, tametsi durum hoc uideretur militariibus. Vide, quid agit superbia? nobiles uiri Nicolaus de Tekeneburg & Sueirin, Baldwinus de Stenferde, sumpsere feudum: quorum exemplum cōtemnere non poterant ministeriales, qui nunc abolito ueteri nomine dici amant militares: nec ibi cōtenti, prorepunt ultrâ, iam etiam nobiles dici cupientes. Sed reclamatione stylus Romanæ curiæ, stylus in cancellarijs, qui barones inter nobiles seruât nouissimos. Emanauit hoc tempore sub bulla quadâ, cleri secularis reformatio, ad Reuerendissimum D. Vuilhelmum Colonensem archiepiscopum, quam suffraganeis fecit communem, super habitu canonico, uirgatis sagulis, & moribus improbis. Sed quis legem dat malè liberis?

Exoritur huic Ioanni turbatio. Fœdus iniit cum militaribus & ciuitate, o-  
 misso capitulo, quod ipsum erat indignatione plenum. Non diu durauit ea  
 res. nam ciues aliquot in lborg publico iudicio condemnati, fuscis sunt ne-  
 ti: nec diu post confessus est pontifex, citra suum cōsensum iniuste rem pera-  
 ctam, utcunq; erat, quia militaribus uiris opus erat: illis auscultabat, usque a-  
 deo ut ecclesiæ arces & oppida alienare cogeretur. quæ res adeo excreuit, ut  
 cum dilapidator rerū ecclesiæ haberetur, opus erat coadiutore. Is erat Theo-  
 doricus de Marca comes, frater Engelberti. strennuè gubernabat, multa re-  
 cuperauit, optima instantia rem gerebat: sed implicitus bello cum Mindensi-  
 bus, multis suorū casis capitur. diu tenetur, donec fratris armis in libertatem  
 restitueretur. Interim Ioannes episcopus, coadiutore omnia gerente, quiesce-  
 bat. Docere curabant plebeium hominem uiri militares, quid esset in eorū  
 medio principari: aliud esse apud sedem Apostolicam multa agere, scholasti-  
 cis doctrinis pollere, quàm uersari inter arma, prouinciā gubernare, uiris mi-  
 nisterialibus permisceri, adeo ut omnia illorum agantur arbitrio. Igitur Ioan-  
 nes posteaquam per annos sedecim, ecclesiæ qualitercunq; præfuisset, con-  
 celsit in fata.

## CAPUT V.

Mindensi ecclesiæ post Theodoricum translatum, præficitur nobilis  
 uir, dominus Gerardus, comes de Scowenburg, nepos ex fratre præ-  
 decessoris sui mediati, intercedente solo Theodorico proximo. Erat eius ec-  
 clesiæ pridem thesaurarius: & cum ageret in pōtificatu quietè, incidit ei spiri-  
 tus nescio quis, uidere terram sanctā, adorare in loco ubi steterūt pedes Do-  
 mini, quæ est pars fidei. Nam pugnare pro recuperāda iam non poterat, uer-  
 sa in desperationem recuperatione. Et tamen cum Adolpho fratre iniit lon-  
 gauam peregrinationem. Poterat nobiles uiros supra Christianam deuotio-  
 nem inuitare recordatio maiorum, qui pro Christi honore diu ibi pugnaue-  
 re, fortemq; diu operā nauauere, præsertim 3 Adolphus: quem primum rex  
 Daniæ, postea uero Hinricus dux Saxonie, cognominatus Leo, Holsatia de-  
 turbauere. Ille uero se cōsociauit Hinrico Imperatori 6. primi Friderici in ex-  
 peditione terræ sanctæ pereuntis, filio: à quo inter primarios duces missus in  
 Asiam, ea gessit magnifica, quæ partim sunt in nostra Saxonie, adeoq; Impe-  
 ratori conciliatur, ut eius opera in Holsatiam reponeretur: sed tamen ibi non  
 remansit, iterum extrusus à Danorū rege Canuto, & confedit ultra Albim,  
 assequutus comitatum Stadensem. quo tempore uetus Monasterium funda-  
 batur, & extant literæ foundationis ab eodē Adolpho donatæ, tanq; Staden-  
 si comite. Sed hæc per transitū rememorata sufficiant: nam plenius continet  
 nostra Saxonie. Gerardus ergo pontifex memoria huius sui prouocatus ab-  
 aui, poterat inflammari ad uidendam terram sanctam: in qua nil tum potuit  
 fructificare amplius, quàm ut Christianam exerceret deuotionem: quod ip-  
 sum nonnihil est in sancta religione, licet perfectionē non afferat. Ego con-  
 sentio sermoni, qui iam exiuit in prouerbiū: Qui multum peregrinatur, ra-  
 rō sanctificatur. Qualicunq; tamen deuotione profectus, neq; ipse neq; fra-  
 ter quō cupiuerit peruenerunt. morte enim correpti in mari, decesserunt: uo-  
 luntatem cum conatu perficiendi, Domino in factū reputante. Nauigant eō  
 principes nostri temporis & militares, ut cingulum ibi desumant militarem:  
 arbitrati, ipsum quod est, fortis esse uiri, hoc muneris petere tanto pericūlo,  
 per magna maris discrimina, per barbariem hostium Christiani nominis: &  
 obtinuit cōsuetudo, estq; moribus receptum, ut non minus habeantur a tra-  
 ti equites (quos uulgò solos appellat milites) quàm si in acie uictores cōstite-  
 rint. Potuit ea res quoq; fratres memoratos inducere, ut peregrinationem  
 longinquam inirent: sed longiorē repererunt peregrinationem, & ut confi-  
 dimus,

A dimus, foeliciores, unde reuersuri non sperantur: nec cura remansit inuisere regionem iterum morientium, quin iam foelici peregrinatione peruenere in terram uiuentium.

## CAPVT VI.

SVerinensis uerò ecclesia per hæc tempora crebrius mutans pontifices suos propter breuem uitam aut traslationem, mortuo Rodulpho, accepit pontificem insignem uirum, Fridericum: qui si nobilium aut ministerialium fortè esset origine, non taceretur familia eius: nunc quoniam siletur, plebeium origine uirum, sed maiori uirtute præstantem debemus accipere, qui 10 annis non mediocri laude præfuit ecclesiæ suæ. Per cuius tempora cum iterum Brandenburgensis Marchia redisset, uelut uacuatam beneficium, ad Imperium, ipse Carolus eius pro se possessionem accepit, uni filiorum inde cõsulturus. Nam Otho eiusdem Imperatoris gener, Marchiam accepit qualicumq; titulo, ab Romulo, Ludouici quondam Imperatoris filio. Is uerò cum Marchiam parui duceret, socero illam permisit, ut ferunt alij, acceptis sex arcibus satis bonis. Tum uerò in eam uersus Imperator, cœpit incolere, delectatus Albi flumine, qui ex Bohemia sua missus, præterfluit Tâgermunde arcem cum oppido egrégia: quam crebrius inhabitans Carolus, miris modis donauit. Extat hodie, ut memorant, Imperatoria maiestate digna mansio, camera stellis ac fulgentibus gemmis mirum in ordinem distincta, quam ille princeps magnificus sibi suisq; adornauit. Dedit aliquando operâ, ut amnis iste nauigabilis, portaret ex Bohemia naues, quibus merces omnigenæ deueheretur in mare: multas eius generis extrui iussit rates. Timere qui ad ripam eius fluminis accolunt, præiudicium non mediocre sibi fieri, Magdeburgenses in primis, qui etiam præsumptæ libertati suæ frena in impositum arbitrarentur. sed uertit rerum cursus principis animum aliorum, ut obliuisceretur mercaturâ. nam filio eius post se, Romanorum Imperium mercari contendit, infinito eius Imperij detrimento: quod in Vuandalia & Saxonia questus sumus. Sed nunc alias res exequimur.

## CAPVT VII.

B Magdeburgensis archiepiscopus de ecclesia sua non satis quietus, quòd multa cerneret sibi aduersari, neq; mores satis congruerent Saxonum uiro Bohemo, uersurâ fecit: & approbante summo pontifice, cuidam Petro in Bohemia episcopo, permisit Magdeburgensem, recipiens quam ille pridem tenebat in regno. multam prius gazam cumulauit, quod constar. Multas arces, agros, oppida, prædia, quæ ecclesiæ undecumq; obuenerant, ille distraxit: nemo tamen ambigat, ibi capitulū & ministeriales adhibuisse animū & oculū, ne in priuatos archiepiscopi thesauros ea pecuniâ perueniret. Potuit aliquantâ inde desumere, quam iustis rationib. impendisset. Decem numerant magnorum comitum dominatus, quas ille tum uelut ecclesiæ inutilis, magis uerò damnosas, distraxisse memorat. Sed quis credat ita dormisse cæteros, ut ille solus rem contrectarit: Hoc certum, abiens Albertus nonnullas ecclesiæ preciosas secum reliquias auexit, caput D. martyris Sebastiani, digitum sancti Mauricij, & id genus nonnulla alia. Nam & brachium diui Philippi apostoli dicitur auexisse. Petrus autem Bohemus, ex episcopo factus archiepiscopus, autoritate legati apostolici, tum in prouincia agentis, præfuit Magdeburgensi ecclesiæ annis nouem: redemit tamē arces duas per prædecessorem pignoratas. Sed neque illius mores, utpote qui & ipse Bohemus erat, indigenis congruebant. unde & ille de ecclesia respiciens in patriam, Luduico Turingo, qui tot episcopatus mutauit, in foelici fato, autoritate Apostolica permisit archiepiscopatum istum: ipse reuersus in Bohemiam suam. Hoc est illud tempus, quo Luneburgenses diu cõfliccati cum duce suo

iuniore Magno, cum multa ab eo & satellitibus eius paterentur, libertati sue grauiā & onerosa, arcē effregere montosam, & eodē anno immisos furtim 700. quorum erat ductor de Homburg baro, qui oppidum pro duce occuparent recidere, cepere, uinxere, nullo ex uniuersis abeūte. Biennio post idem Magnus praelio occurrit Othoni de Scomburg comiti: & manu collata, caesus est in acie, praeliatus antē fortiter.

## CAPVT VIII.

**V**Erdenſi quoq; eccleſiæ per illa tēpora præſicitur, dum Gerardus transfertur ad Hildenſemenſem, memorabilis uir, Hinricus de Langen, ortus oppido Luneburgenſi, decenti & bona familia, ordine pontificum in illa eccleſia quadrageſimus primus, ſedit annis octo. Erat autem antē præpoſitus uirginum in Lüne, canonicus Verdenſis eccleſiæ: pius quidem, ſed tepidus, qui nullo feruore ad rem ducebatur: ſed modèſtè rem incepsans, crebrius intermittens. Sed ſunt caſus in quibus neq; modèſtia, neque mediocritas profunt: niſi ferueſcas, niſi omni inſtantia rem urgeas, ſæpe non procedit. Sui ſanguinis erat zelator maximus. ſi poſſet omnes ſui generis magnificare, id uerò præ cæteris eximiè ſtudebat: ſed tamen in re non bona quomodo potuit magnificare? Studiū uerò eſt quod prædicamus. nam exitus ante cōſpectum eſt. Poſt eius ex rebus humanis exceſſum, arx Rodenburg propinquis ſuis cōmendata, in alienas manus peruenit. Decime eccleſiæ & multa alia ſuis propinquis commendata, de manibus ſunt elapſa: nec facile, niſi magno labore & ſumptu, poterant recuperari. Videlicet pigebat miniſteriales uiros, in ea re per epiſcopum poſthabitis urbicis, quod non illorum fidei fuerant res permiſſæ, qui ſoleant arcibus & prædijs cuſtodiendis ante alios præponi. Ergo qui non ipſi abſtraxere, auferentibus ad minus fauerunt, aut non reſtiterunt. Qua diſſimulatione res eccleſiæ multipliciter perierunt, ut eſſet ſucceſſori labor eximius ad ea recuperanda. Exceſſit autē rebus humanis ad annum Chriſti 1380. tumulatus in pace Chriſti apud eccleſiam ſuam menſe Ianuario, die ſanctorum Macharij & Emerentiani.

## CAPVT IX.

**R**Aaceburgenſi uerò eccleſiæ per eandem tempeſtatem poſt Vuibertum præſicitur uir memorandus, dominus Hinricus, natus miniſterialiū de Vuittorpe honeſta familia: præfuitq; eccleſiæ ſuæ cum ſumma laude & induſtria. Tranſijt eius temporib. Imperator Carolus quartus profectus ex Marchia, ſedula tum manſione ſua, inuiſere urbem Lubicam Imperialem: & cum pertranſiret terminos eccleſiæ Raceburgenſis, obuium ibi habuit pōtificem gratulantem de præſentia maięſtatis ſuæ, & in prædijs ſuis excipientem prodignitate, cum exhiberet quicquid ex tempore poſſet. Exhilarabat Imperatorem alacritas uiri, cum munera & obſequia ſua benigno uultu duplicaret. Imperator autem uiciſſim annuit poſtulationibus eius, priuilegijs & immunitatibus cohoneſtans eius eccleſiam. Quæ reperit collata prius a Cæſaribus ſuperiorum temporum, confirmauit: quæ non habebant, exhibuit, & donauit, ut non fruſtra ſe impendiſſe operam, laborem & ſumptum uideretur epiſcopus. Arcem Stoue primus iſte a fundamentis erexit, quamuis eam non in fundo eccleſiæ, ſed ducum Magnopolenſium erectam ferant principes Magnopolenſes. Vt cūq; fuerit, patiuntur epiſcopum frui poſſeſſione, certis & inter eos conuentis cōditionibus. In arce quoq; eccleſiæ præcipua Schonenberge, inſignem quæ extat turrim erexit. Quo tempore Imperator Carolus oppugnabat Erphordiā, pro Luduico Miſnenſi & Thuringo, ad eccleſiam Mogūtinam, quam ambibat, ſed non eſt conſecutus. Adolphus de Naſſow competitor eius ſe continebat Erphordiæ, & eccleſiā finaliter obtinuit. Tenuit Carolus ad moenia urbis, & forti exercitu minabatur. 40000 cum auxiliarijs

A xiliaribus principibus fertur in armis habuisse: sed tum nihil profecit, nisi quod uillas & uineas omniquaquam exureret. Adolphus ad ecclesiam electus, in ea ad finem permanebat. Interim se Luduicus in Bambergensi continebat.

## CAPVT X.

Lubicensi uero ecclesie uacanti, prospexit in Auinione proueniens electionem, aut cassans de sue beneplacito uoluntatis legitimam assumptionem, quam de suo decano faciebat, ecclesia in capitulo Lubicensi: deditque fratrem Nicolaum de Misna, priorem & lectorem in conuentu Lipsensi, Merseburgensis diocesis. Quid facerent patres aduersus pontificis summi provisionem? Concorditer elegerant dominum Ioannem Cleendest, decanum ecclesie sue, uirum pontificio dignum. Qui cum ipse ad papalem curiam iter arripuisset, primum contendit ad Imperatorem, literas ex eo commendaticias accipere ad summum pontificem: quod non nihil familiaritatis contraxerat cum eiusdem Imperatoris familia, dum ille proxime Lubicam applicuisset. Tum didicit certa relatione in urbe Pragensi, ecclesie Lubicensi iam esse de dicto Nicolao prouisum. Conuerso ergo itinere, Lubicam repetebat, sciens frustra se niti aduersus Apostolicam provisionem. Sed iste Nicolaus cum ad ecclesiam suam Lubicensem peruenisset, non sibi tantopere complacuit in ea, maiorem enim uero spem conceperat de illa, arbitratus ciuitatem Lubicensem temporali eius dominio pertinere: quod cum secus reperisset, grauiter sibi indignatus, quod non antequam perquisisset rerum qualitatem, ut non tantum laboris & sumptuum impendia fecisset: cum tamen esset consecratus episcopus, est translatus ad ecclesiam postea Misnensem. Hoc est illud tempus, quo moriente ad urbem Romam Gregorio undecimo, qui curiam reduxisset in eam, graue & execrandum schisma in ecclesia exortum est, cum Gallici cardinales propendentes in Galliam suam redire, improbabant electionem Romae factam de Urbano sexto, Italico homine: secedentes urbe nouam instituire electionem ex suo numero, praeferentes Gallicum pontificem, dominum Robertum de Gebennis, appellantes eum Clementem septimum: cumque eo festinauere in Auinionem redire. Et continuatum est schisma pessimum, & subtile, in annum usque 40, de quo plura infra dicemus.

## CAPVT XI.

Suerinensi autem ecclesie tum preerat memorandus uir dominus Marquardus, Beerman cognomento, unde plebeium origine accipimus: electus per capitulum, & per archiepiscopum Bremensem confirmatus. Sedit in ecclesia annis solis tribus. Quo tempore, uacante Apostolica sede per mortem Gregorij, qui curiam Auinione reduxerat Romam, parabatur Romae conclauis, ut moris est: & interim cardinales partim inter se tractabant de persona eligenda, & diuisi apparebant in duas partes. Ex una erat Gebennensis, Glanacensis, Britaniensis, Lunensis, & de Aluario cardinales: qui de Italia sibi tres consciuerant consortes uotorum, Florentinum, Mediolanensem, & Vrsinum. Ex alia parte, erant Lemouicensis, Vinariensis, sancti Eustachij, de Agrifolio, Pictauiensis: & maioris monasterij cardinales, qui traxerunt ad se cardinalem sancti Petri. Primi uoluere papam ex ordine Gallicorum, alij Italicum. et cum cernerentur partes penes æquatæ, quod neutra poterat alteri praeualere, quia in neutra erant duæ partes uocum, prout iura disponunt: iam antequam conclauis ingrederentur, cogitauerunt necesse fore, eligere aliquem extra cœtum & collegium cardinalium, & ambæ hoc inter se secreto agebant. Visum est utrique parti, ad hoc aptissimum dominum Bartolomeum, archiepiscopum Barensem. Quidam tamen inclinauerunt in dominum Martinum de Caluis, decretorum Doctorem, referendarium domini papæ Gregorij: sed quia ille aberat, & iuuenis ætate, minor etiam ab annis uidebatur illo pontificatu, conuenere ut eligerent

ut eligerent dominum Barensem, quia esset uir literatus, honestus, Deo & religioni deditus: sciens practicam cancellariae Apostolicae, quia erat uicecancellarius, & nouit omnem cursum & stylum curiae. Hoc inter se partes diuisim agebant, altera nesciente, prout ambae fassae sunt, electione iam facta. Cumque die Mercurij 7. mensis Aprilis, iam conclaue intrare disponderent, & magna esset serenitas aeris, ecce subito tempestas oritur, & ictus tonitruum durissimus rectum palatii Apostolici percussit, & usque in pauimentum signum deferens, quasi certum perturbationis ecclesiae praebat indicium. Cumque cardinales post meridiem cum sonitu instrumentorum musicorum conclaue intrarent, Romani magno clamore postulabant papam Italicum, non Gallicum: non erat clamor urgentium, sed precantium, quod gestibus apparebat. Die postera hora tertia per conclaue cardinalibus ambulantiibus, quidam eorum colloquia inuicem ferentes, ut erat res agenda omnium maxima, constiterunt. De parte quoque altera & ipsi inter se conuenerunt, de re loquentes: & post interuallum inuicem sibi significabant, quod in dominum Bartholomaeum utriusque propenderent. Attraxere ergo sine discrimine partium in eandem sententiam. Sedeamus ergo, inquiunt, ad eligendum. Et statim confedentes emisere uota, & concordabant in dictum dominum Barensem, sine aliqua impressione. Et hoc quidam cardinales reuelabant secreto amicis suis, eodem uespere quo conclaue exierunt. Sed cardinales timentes quod electio illa displiceret Romanis, noluerunt eam statim publicare: quare ordinauerunt mittere certas schedulas unius tenoris, nonnullis praelatis Romae morantibus Italicis, archiepiscopo Pisano, archiepiscopo Barensi, Episcopo Nucерino, & Abbati montis Casini, uenirent sigillatim secreto alter sine altero, ad ardua negotia quae in conclaui emergerent. Quibus uenientibus, cardinales ibant ad prandium, quisque in cellam suam: & praedicti praelati collocati sunt in camera parlamenti domus papalis, quae erat prope conclaue, & ibi prandebant. Deinde circa horam nonam, dum silentium tenuerunt Romani a clamoribus, dixit cardinalis sancti Petri ceteris: Ecce domini, modo nullus clamat de Romanis: sedeamus, & iterum eligamus dominum Barensem, ne postea dicatur quod electio fuerit impressiua. Et iterum confederunt, eligentes eundem. Deinde circa horam uesperarum cardinales exierunt conclaue, non audentes detegere electionem propter populum Romanum. Tunc Agapitus de Columna, episcopus Vlisbonensis, capellanus cardinalis Gebennensis, familiaritate fretus, alloquitur dominum suum: Multi, inquit, multa loquuntur de facta electione. Cui cardinalis respondit: Domine Agapite, si uultis liberare ecclesiam, uadatis cum comitiua uestra, quia magnum est nomen uestrum in hac urbe, magna cognatio, dignissima familia, multa uobis ad populum inest authoritas: custodite diligenter hac nocte dominum archiepiscopum Barensem, qui est absconditus in palatio papali, illum elegimus, ille est uerus papa, licet populus credat & cupiat cardinalem sancti Petri prouectum. Hoc enim insusurratum est ab nescio quo Romano populo, cui iam omnis cognatio sua magnam exhibuit honorem, et populus spoliavit ex more domum eius: quamuis ille respondit omnibus, se non electum. Inde idem cardinalis se intus ornauit, & ad arcem Sagoroli se transtulit. Dominus Agapitus fecit quod monuit cardinalis: sed ibi sistamus.

## C A P V T XII.

**L**ubicensi ecclesiae iterum uiduatae per indignantem abitum fratris Nicolai, secretarius domini Caroli Imperatoris, Conradus de Gisenheim, surrogatur ignorante capitulo, cum dictus frater secretius cum illo ageret, ut citaret ille sui translationem secum ad aliam. Dimisit ille ecclesiam Lubicensem, & facta est prouisio per pontificem, ignorante capitulo. Venit in ecclesiam, & sedit

A & sedit annis octo, cum interim capitulū Lubicense secūndò elegerit, quem antè, dominum Ioannem Cleendenst, decanū suum: sed reuertamur ad exequendum negocium electionis summi pontificis, quia nouum erat & ponderosum. Die Veneris primo mane, dominus Barenfis, cū iam illi innotuisset de se facta electio, misit pro cardinalibus tam in urbe quàm extrà, ad solennisandam electionē. Quibus uenientibus, electus dixit cardinalibus in effectu: Domini, & patres reuerendissimi, quia dicitur quod me immerentē elegeritis summum pontificem, supplico per nomen Iesu Christi, huius mihi rei ueritatem indicate: si per aliquam impressionem factum sit, uel uestri animi proprio motu. Adiurati per nomen Christi, responderunt, & iureiurando firmarunt, quod nulla facta impressione, sed suis motibus liberè, legitime, iuste & canonicè, concorditer, & quomodo unquam facta fuerit, concordissime. Et tunc cōsedentibus ipsis, cardinalis Florentinus, qui Portuensis erat, ad inthronisationem electi faciendam proposuit hæc uerba Apostoli: Decet episcopū esse, & reliqua. Quibus finitis, respondit electus: Timor & tremor uenerunt super me. Et cum orationem uix inchoasset, cardinales interrupserunt uerba eius, dicentes: Non esse de more concionari electum, sed sederet quietus in loco constitutus, ut induerent eum papalibus ornamentis. Quo facto, exhibuerunt ei sigillatim papalem reuerentiā, osculando pedem, manum, & os: & impositū est nomen Urbano sexto. Quibus expletis, exhibuerunt illum uisendum omni populo, & per literas suas regibus & principibus Christianis: & praelatis multis intimauerunt, quod dominum Bartolomeum archiepiscopum Barensem, papam elegerint. Deinde die Paschæ, quæ tunc erat 18. mensis Aprilis, ordinato suggesto ad primas portas Basilicæ sancti Petri, solenniter eum coronabant, deduxeruntq; eum in Lateranū cum omni, & qua poterant maxima omnium festiuitate: ibiq; peractis solennibus, reduxerunt eum in palatium papale apud sanctum Petrū. Cardinales quoq; impetrarunt ab eo pro se, familia, & amicis beneficia & officia: absoluitq; ab eo in certis casibus, tanquam à uero pontifice, humiliter postularunt, & permitti sibi remissionem omnium peccatorū, prout fieri solet in creatione summorum pontificum. Nam & cardinalis Gladacensis impetrauit ab eo episcopatū Ostiensem. Deinde D. Urbanus cum esset uir seueræ industriæ, cœpit cardinales increpare, & exasperare de multis, & præsertim cardinalem Ambianensem qui uenerat de Tuscia. Quā rem ægerrimè tulere patres: & processit ea res ad acrem uerborum contentionem cum cardinali memorato, in præsentia aliorum. Et respondit cardinalis Gebennensis in hunc modum: Pater sancte, uos facitis modicum honorem cardinalibus uestris, uerbis & gestibus, nec eos tractatis honorificè, sicut antecessores uestri: & ideo nos fortè taliter faciemus, quod uicissim à nobis modicum honorè reportetis. Hoc quidam cardinales referebant amicis suis secretò in eorum domibus, postq; reuersi sunt de palatio. Ex tempore illo de schismate tractabāt Gallici cardinales. Hæc sumpta ab Alphōso memorato, de tractatu quē desuper edidit.

## C A P V T XIII.

O Peræprecium est, nonnulla subnectere ad rem pertinentia, de ortu huius schismatis omnium maximi. Ioannes de Lignano, utriusque iuris excellentissimus doctor, ea tempestate floruit Bononiæ: undecūq; ille acceperit, solebat de hoc Urbano prædicere, priusq; schisma fieret. Hic, inquit, papa multos habebit aduersarios, inducentes proditione principatus, retinebit tamen cū lite: et qui deberent esse auxiliarij, erūt aduersarij. Aliqd tamen pro ipso adiutoriū ueniet ex alto: ipse declinabit multocius à proposito suo, habens semper aliquos exosos & insidiantes sibi. Regnū eius aliquatū erit diuturnū, & non perdet dominū, sed cōtinuò habiturus est æmulos.

mulos. Cauendū est ipsi in anno Christi 81, & deinde; ipse timebit: & impedimentū in facto ex ipso erit, non obstante quod erit bonæ legis & religionis. Erit ualde rigorosus, per semetipsum multa expediet, & consiliariorum ministerio non utetur. Sanus atq; saluus ab infirmitatibus erit. Magna fraudulētia aduersarij laborabunt cōtra eum, & finaliter cadēt in persecutionib. suis, & fortē incident in grande infortunium itineris, religionis uel mortis: inter amicos morietur, & extra propriam terram. Innouabit gesta decessorum suorum, de quo non commendabitur. Non erit bonum ei itinerare, licet ipse intendat, mediante religione uel itinere, augere regnum: quod non fiet ex hoc, sed à populo ipsum nesciēte. Et auxiliiatores impediēt augmentum regni. Cardinales non diligent eum, & laborabūt contra eum, maxime qui sunt de natura Iouis: sed qui sunt de natura Martis, concordabunt ei, & immutabunt uoluntatem suam infra præsentem mensem Septembrem anni 78. & tendent ad concordiam cum eo. Hæc, ut apparet, astrologus ab astris prædixit. Idē quoq; dominus Ioānes de Lignano, iam schismate inualescēte, uenit Romam, & à Domino Urbano honorificē est exceptus, & multas habuit cum eo collationes. deinde reuersus Bononiam, pestilentia grauissima per Italiam & Germaniam inualuit, & 3 idem Ioannes peste absumptus est. Ea uerò quæ de Urbano pontifice prædixit, ex ordine prouenerunt. Alphōsus autē monachus, de quo supra diximus, in memorato suo tractatu scribit, quod postquam schisma in ecclesiam erat introductum, cuiusdam in uisione dictum fuit: Urbanus est uerus papa, & sponsus ecclesie: sed in regimine suo tenebit modum sine modo. Cardinalibus igitur, ut supra dictum est, propter correptionem domini Urbani commotis, cardinalis Gebennensis unā cum quibusdam alijs in mense Iunio urbem exiens, in urbem Fundanam se recepit. Et receptus à comite Fundorū, cum alijs suæ sectæ consortibus cardinalibus, de impugnatione electionis domini Urbani tractauit. Et tandem tribus alijs ad se attractis, qui usq; in illum diem cum Urbano remāsere, effecit, ut innouata electione, ipse à consortibus eligeretur, & Clementem se septimum appellauit. Inde schisma quo maius in ecclesia Dei nullum erat, excreuit: & secuta sunt homicidia, incendia, rapinae, guerræ, & destructiones non modò ditionū, sed prouinciarū, & calamitates & errores in longæuum.

## C A P V T X I I I I.

**C**ardinalis Gebēnensis, licet fauori domine Ioannæ Sicilię reginæ inniteretur, non tamen audens intra regni illius districtū permanere, cū cardinalibus suis Auinionem se contulit, & à rege Franciæ susceptus est. Quid mirum inde quoq; reges, principes & prælati in Christianismo sunt diuisi. Rex quidem Franciæ cum uniuerso regno suo, & ferē tota Hispania, & regina Siciliæ, cum maiore parte regni, Roberto antipapæ inhæserunt: Imperator uerò Carolus, & filius eius Vuencelaus rex Boemiæ, Ludouicus rex Ungariæ, rex Angliæ, & omnia regna Septentrionis, necnon prouinciæ Italiæ extra regnū Siciliæ, regna Cracouiæ & Poloniæ, domino Urbano subscripserunt. Quidam tamen principes superioris Alemaniæ, cum nonnullis episcopis & collegijs sibi in temporalibus obstrictis, ut Lupoldus dux Austrię palam, et quidā nobiles inferioris germaniæ, Engelbertus comes de Marca, & Adolphus frater eius comes de Cluiis, clam Roberto paruerūt, quod iam tunc coronæ Gallicæ deuincirentur. Albertus dux Austriæ, principalis, frater Lupoldi, maior natu, domino Urbano fideliter inhærerere non cessabat. Dominus Urbanus Robertum antipapam cum suis cardinalibus excommunicauit, & cardinalatus honore, beneficijs & dignitatibus omnibus priuauit, & processus graues contra eos in regnis adherentibus fecit publicari. Deinde anno suo secundo omnes adherentes Roberto beneficijs priuauit,

**A** uauit, & referuauit illa dispositioni sedis Apostolicæ: & demū collectoribus & subcollectoribus fructuum, camera Apostolicæ debitorum potestatem, tales adhærentes priuare beneficijs, eadē dispositioni Apostolicæ referuando, prout cōmissio & subdelegatio episcopi Vuormaciensis collectoris per prouinciam Moguntinam undiq; dispersa continebat. Eodem anno secundo petitus ueneno acerrimo idem pontifex, æmulum suorum procurante liuore, languebat, ut penè ab omnibus qui astiterant mors uicina esse crederetur. Innixus autem uerbo euangelij, Si mortiferum quid biberitis non nocabit: liberatus est toxico, non sine dolore maximo, sed sine adhibito remedio. Populus autem Romanus non longè post ab eo uolens, nescio quid, quod negabatur, armatus petit palatium: minatusq; ni fierent que posceret, omnia subuersurum. Vbi audiuit aduentare tumultuantes, iubet parari cathedram pontificalem ad ingressum atrij, referariq; portas palatij. Sedet infusus, ingressosq; primos magna stipante & à tergo urgente turba, uultu truculento reuerberans, Christi uerbis increpat: Quem, inquit, quæritis? Illi qui faciem uiderant confidentis, muti & immobiles constiterunt, obnixi prementibus à tergo, & pacati redierunt qui uenerant truculenti, paucis eius uerbis & reuerentiâ pontificalis aspectus conterriti.

## CAPVT XV.

**I**oanna regina Siciliae cum audisset Barensem archiepiscopum factum Romanum pontificem, gaudio gauisa est, et omni genere triumphis per urbes & agros festa iussit omnes solennitate triumphare, quod pontificem haberet Neapolitanum genere, qui nutus eius sequeretur. Sperabat enim, quod pontifex nouum maritum suum, Othonem ducem Brunsvicensis, ex Transsylvanias, qui diu in Italia militauerat, & iam reginae thoro admissus esset maritus, regem Siciliae & Hierusalem contra Gallos & Ungaros declararet: idq; apud eum serio egit per nuncios. Sed quoniam hæ nuptiæ non ex sententia principum erant, & illa iam annis aliquot spem proles dare non poterat, pontifex non ignarus rerum omnium, reginae desiderium non audiuit. Inde uersa est indignatio mulieris, in pontifice, secuta execratio. Perfecit, ut deinde Roberto mulier faueret, sperans per illum consequi, quod ex Urbano non poterat. Differabat eam uerbis Robertus, quamdiu erat in regno eius, quia opis eius indigus uidebatur: excreuitq; per regnum diuisio noua, & in ipsa Neapoli turba erat, clamantibus alijs, *Uiuat papa de Roma*: alijs uerò, *Uiuat papa de Fundis*. Ultra etiam progressa contentio, processit ad arma. Secuta sunt homicidia & proscriptiones. Papa Urbanus malignitate reginae comprobata, eam per solennem sententiam excommunicauit, deposuit, omni iure si quod haberet priuauit in regno, subiiciens illam maledictioni. Carolo autem duratio, filio regis Ungarie, regnum subiecit, quod paterno genere respiceret in illud: erat enim natus fratre Roberti regis, qui patrem habuere Carolum 2, Neapolitanum regem, illiq; iniunxit, ut sententias à se latas in Ioannam exequeretur. Rex igitur Ungariae iam dudum contra reginam Ioannam ægrum gerens animum, quod Andream fratrem eius, primum eius maritum, regem Neapolitanum, in Auerfana ciuitate in palatio strangulatum, & fenestra proiectum in hortis reperere mortuum: quam necem reginae, generalis fama imputabat. Licet autem eundem fratrem suum magnifice uindicauerit, ad eiusdem tamen reginae exterminium uehementior incubuit. Carolus ergo exercitu conscripto per Italiam, contendit Romam, ibiq; Urbano pontifici prestito fidelitatis iuramento, coronam regni Siciliae de manu pontificis cum regia consecratione suscepit. Ita profectus est in regnum. Regina dum aduentare Carolum audit, consternatur. Otho autem maritus, agmine suorum exedito, obuiam proficiscitur, obsessurus angustias per quas solas erat uenturo

D d transitus.

transitus. Sed erant in agmine eius non satis illi fidi, qui suaderent paulisper ab angustijs discedere, ut ingressos Vngaros à tergo adoriretur. Ille Germanorum more non præuidet insidias malè consulentium: fecit quod monitus erat. Interim transiens fauces Carolus, inter urbem Neapolitanam & exercitum hostilem cum medijs esset, arbitrium habens, aciem ne cōuertere in sequentem hostem, an ad oppugnandam ciuitatem cōtenderet, placuit ciuitatem recto itinere petere: & erat apertis portis, quod nihil hostile formidaret, Othone cum exercitu foris, ut sperabant, omnia tuta præstante. Ingreditur Neapolim rex Carolus, & ad oppugnandam arcem cui regina inerat, rectà contendit. Secutus agmine citato Otho, uidet hostem ante se ingressum patentem ciuitatem: ingemiscit, & consilium damnat post factū. Castellum sancti Erasmi in monte ad Neapolim petit cum agmine, sumpturus consiliū ab euentu. Interim Carolus arcem reginæ omni genere impugnat. Missilia multa iacit, frangit turres, deformat mœnia, quatit muros. Tormenta grandia, quibus uasa humano stercore, cruore, membris cæforum plena mittit in arcem. Non tam lædere poterant grauisissimi ictus murorum præsidia, quàm foetor & abominatio terruit insidentes, Durauere tamen, tolerantés animo forti obsidionē. Otho uerò dux, ubi incidit aquæ ductus ad urbem, laborare fecit à siti uniuersam ciuitatem: sed interim miseratus reginā, quod in angustijs oppugnationum laboraret, cogitauit quibuscunq; uis occupata ciuitate opem ferre obseisis. Armato exercitu suorum, eques cum equitibus, montem descendit inexplorato: iam enim Carolus pedites suos in uineis & casellis abscondit in eos usus, ut insidiarentur descendenti agmini. Igitur ubi ad pedem peruenere, inter angustias equites Othonis deprehensi, & circumfusi à pedibus, nullo se poterāt armorum genere tueri: lanceis usus nullus, equis nulla excursio, arcus uidebantur inutiles. Ibi captus Otho, in manus Caroli peruenit. Regina ubi audiuit casum mariti, iam cui se seruaret, quæ expectaret ereptorem non habens, in gratiam se contulit uictoris Caroli.

## C A P V T X V I.

**R**egina in carcere mortem obiit, siue cruciata de morte Andreae mariti sui, siue fame seipsam excrucians ita finierit, incompertum: Otho seruabatur. non enim erat quod illi ad mortem meritam obijceretur, uir militaris militariter se gerens, cum in eo complaceret reginæ: dux uisus est non impar talis fœminæ thoro. De Andrea autem primo eius marito cur interierit, ita fama ferebat. Cum primū esset Ioannæ thoro coniunctus, regnumq; administraret, iustam reginæ iram incidit, quod germanā eius uenustissimā puellam, quæ Duratij tenebat principatum, Andreas plusquam reginam amans, furtim se illi coniunxerit, & impleuit uterum puellæ prægnantis. Id cum renunciatum esset Andreae, misit illam in regnum Vngariæ, peperitq; euoluto tempore filium, hunc ipsum Carolum, Duratium inde uocatum. Regina zelotypiæ inflammata furore, & suam & sororis iniuriam ultura, armatur in maritum. Carolus uictor festa agit: spargit etiā pecunias, ut in læticiam soluat uniuersos: uerū hæc inuitio. Secuta est autem in regno disturbatio, quod non idem sentirent uniuersi. Erant plurimi commiserantes reginæ casum, sed initium cōmotionis à Neapolitanis, qui exitiali odio persequebantur Germanos Othoni militantes, petebant ab nouo rege ut captiuos Teuthonicos illis permitteret ad supplicium. Durum erat permittere, durius in nouo regno petentibus negare: permittit arbitrium magistro militiæ suæ. Ille ad arcem qua tenerentur captiui ducit Neapolitanos, uinctos autem ex Germanis laxat, cuiq; sua arma permittens, & iubet exire in planiciem apertam: consistere Neapolitani ex aduerso. Tum magister ait: Quia, inquit, uiri Neapolitani Germanos poscitis ad supplicium, permittit uobis rex. Numero longè superatis:

**A** ratís: capite eos, & pro arbitrio consumite. Frendebant dentibus, sed nemo se commouit: nam malè sibi quisq; timuit ab armatis. Poscebant ergo Neapolitani, ut extra prouinciám ablegarentur. Rex paratis nauibus, iussit in secura deuehi. Durabat autem odium in eos quoq; Germanos, qui artibus inter Italos inseruiebant: aliquot inde trucidati, alij à matronis & zelosis uiris abscoisi, uix seruantur. Sed instabat Carolo labor aliunde, nam Ludouicus Andegauensis, qui se Ioannæ reginæ proximum ferebat, hæreditario iure de regno agendum putauit. Ab suo igitur Antipapa coronatus, collecto exercitu grauisimo, contendit in Italiám. Duodecim equitum milia eduxit Francia. Auctus est continuò numerus, ut accurrentibus amicis undecunque, octuaginta milibus ingrederetur regnum Neapolitanum. Suscepere illum amici perbenigne, agmen eius augentes, quotquot erant quos casus reginæ tangebant.

## CAPVT XVII.

**V**Rbanus interim pontifex cum audiret eam regni commotionem, fretus multorum in regno principum familiaritate, ut pacaret regnum, eò contendit. Carolus rex etli iureiurando pontifici obstrictus esset, nonnullis capitibus uiolatis malè sibi cõscijs, coepit pontificem ducere suspectũ: quòd non tam sui gratia, quàm suorum uenerit, insidias illi parabat. Nam in ciuitatem Auerfanam ubi intellexit ire pontificẽ, obuius illi factus, reuerenter descendit, salutat, osculatur manus & pedes: equi freno prehensio, ipse pedes deducit pontificem in arcem. Sed refragatur eò ire põtifex, unde posset non suo arbitrio à reditu detineri, declinat in episcopi curiam. Ibi rex suo sumptu cibum iussit apparari: cenat cum pontifice, discedit sub noctem, quieuit uterq; per diem sequentem. Nocte quæ proxima fuit, misit rex qui inuitarent pontificem, ut accedere in regiam dignaretur regem, recusantem etiam adducerent. Primùm pacatis uerbis excusat pontifex ne ueniat, quippe noctis horam duxit suspectam. Arripitur, deducitur. Ille excommunicatione cedit ducentes. Contemnitur, ad regem peruenit. Rex illum suscepit dignanter. Triduò cum rege agit in arce, ignorante familia quid sit factum de pontifice. Quarto die procedunt unà Neapolim. Excipitur pontifex in arce noua: deinde pontifex in archiepiscopi curiam se conferens, solennia Romanæ curiæ ibi peregit, cancellariam disponens, causas iubet expediri. Ad æstatem proximam, Carolus magno exercitu conscripto, procedit in hostem Ludouicum. Desidebant ambo, minitantes inuicem magnis exercitibus: sed non sunt congressi. Papa curiam in Luceriam transfert, ipse arcem insedit in Burgo, qui uix 80. domos habebat. Curia se partitur ut potuit: non Luceriã, sed miseriam appellant. Papa tamen eo cõsilio ibi consedit, ut restituta arce, oppidum quoq; renouaretur. Venerat dies ad prælium constituta, ut semel de regno decertaref. Ad uicinia deduxere exercitus. Stabant triduò in acie mutuo conspectu, cum nusquam præliũ iniretur. Post triduum, uictualiu defectu Ludouicus inde desleclit ad munitiora quæ tenebat loca, ibi breui emigrat. Quo mortuo, soluitur dux Otho à ducalib. è carcere, & in oppido sub fide præstita ire iubetur. Rex ubi comperit, mittit secretò qui rapiant, & adducant. Ducales sequuntur, & de manibus capientium uirum eruunt, ducem illum suum destinantes: sed non diu cum illis permansit.

## CAPVT XVIII.

**C**Vm Vrbano ibi diutius in Luceria quàm prælati par erat commaneret, feruntur quinq; cardinales in pontificẽ conspirasse, quod eum perderent ut hæreticum hominẽ. Ordinauere quibus uijs. Cardinalem ex alijs tentauere, qui deliberandum putauit, & magis magisq; secum reputans, inhorruit: Ecce, inquit, si per quamlibet occasionem detegitur consilium,

tu peribis cum caeteris. Ne forte ab alijs praeueniatur, secum constituit rem pontifici detegere. Detexit. Ille clam uocato nepote, principe Capuano, iubet ad diem in armis habere expeditos, capitq; cardinales quinque: sextus adijcitur Anglicanus, quod sciens non detexisset. Ponuntur ad quaestionem, fatentur, ordinem edicunt, dispergitur eorum familia. Amici tamen eorum, quos non paucos habuere, ad arma concurrunt. papam circumlident in Luceria. Compertum est pontifici, regem & reginam Margaretam fuisse conscios conspirationis. Excommunicat eos, deponit regno, priuat omni dignitate, interdictum ponit per urbem Neapolim: qua de re uicissim cognatio pontificis in urbe male habebat. Redit rex Carolus, audit quid factum sit: cominatur sacerdotibus ultima, nisi Neapoli diuinum impleant ministerium. Recusant, se retrahunt, abscondunt. Religiosi, papae minus quam regi paruerunt, psallentes cum gloria. Interim crescit obsidio pontificis, expugnatur oppidum, diripitur, incenditur, ueniunt in manus hostium propugnatores. Scribit interim pontifex amicis. Genuenses decem armatas misere biremes. Raimundus filius comitis de Nola, pontificem tueri & eripere contendit, conduxit thesauris pontificis ingentem exercitum, cuius, illo nesciente, ductores Carolus aere corrupit. Proficiscitur. In itinere intelligit se prodendum, equum stimulat, eius beneficio cum paucis euadit ad pontificem. Cum eo locutus, discedit, auxilia plura laturus. Proditores memorati principem Capuanum, pontificis nepotem, Carolo regi tradiderunt. Abbas Cassinensis infensissimus pontifici, praerat obsidioni. Is omnes uias obseruans, nihil patitur adduci. Vnde factum est, ut multitudo in arce cum pontifice urgeretur, laboraretq; fame ac siti. Cardinalis de Rauenna, dominus Pileus, legatus pridem de Germania reuersus, Coruetum regebat. Is duabus biremibus ad nauigans, Carolo regi blandiebatur, interponens se rebus: sed & iste pontifici coepit esse suspectus, unde remeabat inanis. Papa igitur cum suis fame laborabat. Subtraxere se paulatim uiri militares, & pene soli remansere ecclesiastici. Durauit ea calamitas in mensem usque Iulium. Tum Nolanus comes, & caeteri qui militauere pridem Andegauensi, ingenti conflato exercitu ducunt Luceriam, ubi intellexere obsidentes uenire qui soluerent obsidionem, tum uero oppugnauere incessabili labore, terribili strepitu: sed nihil profuit. Magno labore per montes uenerunt, angustijs occupatis per regiones. Soluerunt obsidionem. Papa oneratis bestijs descendit, forte praesidium imponit arci. Proficiscitur Beneuentum: ibiq; proditio tentatur, sed dissipatur. Biremum ab Genua patroni ueniunt ad pontificem: iubentur circumnauigare, ut pontificem accipiant. In itinere milites conducticij de stipendio certificari uolentes, tumultuantur, minitantes papam ducturum Auinionem nisi soluat. Gallici generis erant, de reliquijs Andegauensis. Papa quam primum ab eis se liberat, dimittens Gallos & Britones & Italicos, solum Raimundum Nolanum cum fidelibus & Teuthonicis stipendiarijs secum retinuit. Magnis & laboriosis itineribus pedestri uia peruenere ad littus, circumspicientibus in omni uia hostiles incurfus: diu non patuere biremes. Post aliquot dies prima antennarum capita sunt uisa: & sex quidem propinquantes susceperunt pontificem cum suis, aliae quatuor in Barensi portu demorabantur. Vario casu nauigabant, iam in Siciliam portu excepti: inde in latus Italiae. deinde Neapolim & Tyberim praeteruecti, peruenere Coruetum, cuius possessionem tradidit Genuensibus in pignus pro precio et solario biremum, quod in quatuor menses excreuerat, ad summam octuaginta milium aureorum. uigesimo tertio mensis Septembris, post uarios casus peruenerunt. Ibi exiens pontifex in domum fratrum hospitalis sancti Ioannis, excipitur, cardinalesque uinctos mittit in carcerem. Haec, & quae pauca sequuntur, ad fidem narrationis exhibui, auctorem secutus

A fecutus qui his omnibus intererat, & sua manu digesserat quæ uidit, quæq; audiuit: longioribus quidem ambagibus multa interponens, quæ omisi, sed in hanc tamen rerum summam quam breuiando signaui.

## CAPVT XIX.

Venerat tum quidam barbatus, qui heremiticâ profiteretur, uisione, ut ferebat, admonitus, à Deo missus, uir pseudopropheta, ex Gallijs: qui Urbanū interpellauit uerbis Dei, ut pontificatum dimitteret, uero pontifici Clementi cederet, alioqui sentiret diuinâ ultionem. Interrogabat pontifex unde nosset uisionem ueram, non illusionem phantasticam, neq; diabolica esse figmenta. Nihil ille dixit probabile, sed quæstionib. se quibuscunq; offerebat uera locutum. Gemmam insignem præferebat in auro. Hoc non esse heremiticum, quum diceret Urbanus: ille subsequitur, Eam qui donauit, sanctissimus in Christo pater, dominus Clemens, iussit ut perferam. Eam cum posceret uisendâ pontifex, tradidit proximè astanti ex familia: Vide, inquit, si quid est nigromanticū in ea, qua de re te multum aiunt callere. Arreptum deinde hominem iussit carcerari. Abierant duo dilapsi ex his qui cum eo uenerant. Subiectum quæstioni eò perpulit, ut fateretur diabolica esse figmenta. Voluit igne sumere de eo supplicium. Rogatus à prælatis Gallicis ne faceret, quòd in omni regno uir esset notissimus, & magnus habitus, iussit ut proxima dominica omnia palàm quæ dixisset reuocaret, seq; uanum, mendacem, à diabolo instinctum, audacia fretū dixisse quæ pridem. Redditis iuramentis & anulo, iussit abire: promittentem, quod in se esset, de unione ex fide agere. Quo tempore Carolus Duratius, quia Ludouicus Vngariæ rex sine prole mascula obiisset, duabus tantum relictis filiabus, quarū natu maiorem cum regno Vngariæ Sigismundo Bohemiæ regi, Caroli Imperatoris filio despondisset, contendit in Vngariā: & oppositus Sigismundo, magnam regni partem sibi conquisiuit. Elatus in superbiam, ibi cæsus corruit, relictis paruulis in regno Neapolitano, Ladislao filio, & puella Ioanna. Ladislaus aut quia impubes decessit, regnum in manu Ioannæ filiæ permansit, quæ uarijs hoc casibus agebat. Otho tum Brūsiuensis dux, Neapolim in potestate habuit: fretus ueteribus amicis æmulos multos perdidit, alios etiam captos misit Tarentum. Cum uenisset autem Ludouicus Andegauensis filius, cum exercitu, Otho illi adhærens, magnam regni partem subiecit, ductor factus copiarum sub ipso: sed ad magnam regni spem nunquam est reuersus.

## CAPVT XX.

A Vstriæ dux Lupoldus illo tempore anni 86. profectus in Suiceros, olim Heluetios, cum omni exercitu suo cæsus occubuit, & omni nobilitate, usq; ad Albertum fratrem, qui solus remansit stirpis propagator. qui etiā proximo anno conuocatis copijs, ad uindictam processit: sed interuenientibus principibus, causa posita in treugas, nec dum sopita. Interea fautores uinctorum cardinalium multa sunt moliti, ut eos eriperent. nam ueneno saepe peti- tum pontificem subuertere tentauerunt. Quod ubi non processit, etiam armata ui tentarunt eripere. Nocte media ingressi, cum sperarent non omnes in palatio idem sentire, primam perfregere ianuam. Ingressuri, cum iam commoueri custodes in palatio sentirent, retrocessere. Pontifex cum diligentius ista scrutaretur unde essent, duo cardinales, D. Pileus de Rauenna, & de Petra mala, curia abierunt, non expectantes diligentiore indaginem: unde se suspectissimos fecere, ad antipapā abeuntes, qui non inuitus eos accepit. D. Pileus pridem legatus per Germaniā Urbani, scripsit principibus per Germaniā, se magno pridem errore captum, fouisse partes Urbani: nunc diuina miseratione illi apparuisse ueritatem, quam tum præstigijs eiusdem Urbani, oculos eius fascinantis, uidere non potuisset. Illos quoq; consulere ani-

mabus suis, & ab his quæ ille præsens disseminasset, prudenter emendati recederent, saniori consilio serius quam nunquam emendati. Sed principes ac ceptis literis risere inconstantiam uiri, alioqui docti. Idem tum Pileus priusquam Italia cederet, capellum, quem illi Urbanus honori cardinalatus contulisset, in foro publico Papiæ concremauit, Comite Virtutum hoc ratificante, quod illi Urbanus nuper negasset regni titulum, quem per Lombardiam uoluit. Anno sequenti, qui fuit 1387, D. Urbanus Genua discessit Romam uersus, cum supra annum illic esset commoratus. Priusquam discederet, cardinales uinctos, in carcere strangulatos, iussit stabulo infodi. Ita prædicabat qui tum affuisset; quamuis Blondus prædicet, culeo insutos esse mari merfos. Adam cardinalis Anglicus, cum eis uinctus dimittitur, quod conscius, non approbator fuisset consilij: satis pœnarum in carcere expendens suæ taciturnitatis. De Genua abiens Urbanus, cõcessit Lucam, ibiq; per nouē menses stabat: inde uerò Perusium, quo ex loco in regnum redire constituit, quod Romæ diffideret. Sed quidam heremita uisione admonitus, hortatur ut Romam peteret. Non satis animatus, dubius tamen quid faceret, uidit beatum Petrum in sublimi ad eam partem quæ Romam ducit: uidere cum eo pluri, sed ille iussit ne uiuente se cuiquam diceret. Post obitum eius episcopus Tarentinus confessor eius palam dixit in sermone ad populum, se cum pontifice & multis alijs tum in ea effigie uidisse Petrum in sublimi, qua sculptus astat ad porticum Basilicæ. Insigni honore à Romanis est introductus.

## CAPVT XXI.

**F**ecit hic pontifex memorabilia tria post regressum ad urbem: iubileum de anno 50 transtulit ad 33. qui sunt anni Christi iubilæum prædicantis: tanto enim tempore moratus est nobiscum in terris. statuitq; ut proximo anno qui esset 90. & deinceps per 33. seruaretur. Sed illum annum non uidit. Secundo decreuit & instituit festum uisitationis Mariæ, 2. Iulij deinceps celebrari: sed Bonifacius 9. decreuit literas. Tertium fuit, quod nõ obstante interdictione ecclesiastico, in festo corporis Christi possint apertis ianuis diuina celebrari, eo modo quo cõcessit Bonifacius in quatuor festiuitatibus. Et cõpletum est quod de festo corporis Christi uenerabilis Doctor Ioannes Andrea ante annos 90 prædixit in Clementina, Si dominum: in glossa super uerbo Relatum. Fecit quoq; declarationem super Clementinam, dudum de sepulturis, propter uarias opiniones & glossas doctorum: cuius copiam, quia paucis innotuit, de cetero annotare curauit. Urbanus episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis filijs, uniuersis religiosis cuiuscunq; ordinis uel religionis, presentes literas inspecturis, salutem & Apostolicam benedictionem. Et si animarum affectantes salutem, &c. Nos igitur qui ex suscepti Apostolatus officio, &c. uniuersitati uestre per apostolica scripta in uirtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, quatenus parochianos diebus dominicis & festiuis non recipiatis decætero in ecclesijs & oratorijs uestris ad diuina, nec ipsos sine licentia sui sacerdotis ad pœnitentiã aliquãlter admittatis, cum quis alieno sacerdoti iusta de causa sua uoluerit confiteri peccata, secundum statuta cõcilij generalis licentiam prius postulare, ac etiam obtinere debet à proprio sacerdote, uel alijs sibi primo confiteri, & recipere beneficium absolutionis ab eodem. Aliter namq; ab ipso absolui non poterit, cum duplex in iudicando funiculus, potestatis scilicet & scientiæ, requiratur: quorum alterum in alieno constat deficere sacerdote. & ne parochialibus ecclesijs deuotio debita subtrahatur, ante missarum solennia, ad quæ audienda parochiani prima diei parte in suis consueuerunt & debent conuenire ecclesijs. Nequaquã in ecclesijs uestris supradictis solennes eis faciatis sermones, ne propter hos audiendos ad uos confluens populus, parochiales ecclesias derelinquat. Sed nec ad

**A** nec ad prædicandum ad illas parochias procedatis, nisi à sacerdotibus earum parochiarum fueritis inuitati, uel saltem ab illis petieritis humiliter, & obtineritis uos admitti. Et ut debitus honor deferatur, eodem die quo diœcesanus episcopus, uel alius loco eius solenniter prædicat, maximè in ecclesia cathedrali: nullusq; uestrum in ea ciuitate uel loco prædicare præsumat, ne salubris prædicationis doctrina ex inculcatione huiusmodi frequenti, quasi tædium generet, contemnatur. Si uerò in casu licito parochianos alterius, ad sepulturam quam nemo sine iusta & rationabili causa temerè debet eligere, antiquis parentum suorum dimissis sepulturis in uestris ecclesijs uos recipere contingat: omnium quæ obtentu huius sepulturæ fuistis consecuti, medietatem, uel tertiam partem, uel quartam, iuxta fœlicis memoriæ Gregorij papæ prædecessoris nostri decretum, & secundum consuetudinem, etiam non requisiti infra 8 dies à tempore receptionis eorum episcopo uel sacerdote, de cuius parochia est assumptus mortuus, exhibere curetis, &c. Si quis uerò uestrum eiusmodi præcepti transgressor prouisionis nostræ extiterit, uel contra prædicta aut aliquid prædictorum uenire præsumperit, præter inobedientiæ uicium & excommunicationis sententiam, quam de facto ipsum incurrere uolumus, graui suo periculo subiiciat, & nihilominus à loci diœcesano ad præmissa omnia obseruanda, censura ecclesiastica, appellatione remota, districtius compellatur, nullis ei contra hoc indulgentijs, aut apostolicis priuilegijs ualituris. Datum Neapolí, 11. Calendas Decembris, pontificatus nostri anno 7. Peruenit autè is pontifex uiuendo ad annum 12. & Romæ discessit, tumulatus in petri Basilica, in capella sancti N. humili sarcophago. In de postea translatus in ecclesiam, honoratiorem in locum. Hæc iccirco, ut uera uidentis narratio confutet uoces uanè fabulantium de hoc pontifice.

## CAPVT XXII.

**P**aderburnensis ecclesia sub Urbano, moriente Hinrico eius pōtifice, uacabat, & succedit ei Simon eiusdem ecclesiæ decanus, natus comitibus de Sterneberg, impetrauitq; ab eodem Urbano papa, & præfuit ecclesie in annum 9. Hic ut per archiepiscopum Coloniensem apud sedem Apostolicam promoueretur, quodq; remotum in ecclesiam remisit, eidẽ archiepiscopo citra cōsensum capituli sui grandem pecuniã, quam debebat ecclesiæ Paderburnensi, pro eo quòd Hinricus prædecessor eius marschallatus officium pro ecclesia Coloniensi magno suo & ecclesiæ suæ onere portasset. Munus autem cōsecrationis accepit in Romana curia. Reuersus, cum solennitate introducit, perbenignè suscipitur: de officio autem diuino nõ magna illi cura fuit, quod uix in omni suo pontificatu in pōtificialibus perageret. Intrauit cum archiepiscopo Coloniensi armatus Hafsiam, & uiolata est pax illa quam Hinricus prædecessor magno molimine curauit concludi, & iurari. Multa permisit suis ministerialibus, quæ alias sinenda nõ erat. Presbyterum, quod ecclesiam uacantem à sede Apostolica impetrasset, captum perpetuo macerabat carcere. Pulchra nimirum causa. Dissimulabat capitulum, quod idem presbyter aliquando litem fouisset aduersum ipsum. Confœderationes quas alij cum uiris principibus facere consueuerant, ipse uertit ad ministeriales suos, qui alias essent illi perpetuo iugo subditi: hos honorabat ut pares. quocirca in eum uersi, per contemptum publicè illi audebant hostilia nunciare. Cumq; illos bello persequeretur, oblideret, in præsidio Brobeke sagitta percussus in inguine, mortis inde occasionẽ habuit. Ita uir militari genere natus, dum ministerialibus, suæ originis hominibus, multum indulget, dumq; arma magis quàm sacra prosequitur, finem assequitur, quem solent, iuxta uerbum ueritatis, gladio depugnantes.

**M**Adeburgensem ecclesiam post Petrum Bohemum, affecutus est Ludouicus: qui per multas ecclesias ambulabat, quærēs requiem, & non inuenit. Comes erat prouincialis Turingiæ, marchio Misnēsis, idem qui ante multos annos erat episcopus Halberstadenſis: quā dimittēs, ambiuit Moguntinam magno bello, cui se immiscuit Carolus Imperator: sed eam nō est affecutus, ad Bambergensem aut peruenit. Sed cum memorato Petro Magdeburgensi tractans, usque eò rem perduxit per amicos, ut uoluntate summi pontificis ei permitteret ecclesiā Magdeburgensem, in qua bene inchoauit: nam raptores infectatus est cum Magdeburgensibus, quibuscunq; locis inerant. Comites de Vuerningrode superauit, quædam eorū prædia subuertit, bonamq; de se spem præbuit futuræ tranquillitatis. Iam uergebat in seniū, & tamen iuuenū leuitates, choreas & carmina, more suæ gentis nō omisit: plus in eo ualebat patruus mos, q̄ Christi religio. Ad dies solutas Carnispriuij uocabat ex ministerialib. cum puellis & dominabus in Caluen, ut more gentis resoluti, carminibus, choreis, uanitatibus cæteris, lætos cum illo dies agerent. Venerant frequentes: archiepiscopus in primis choreis inerat fœminarum, nulli cedens circulationibus, stridoribus leuissimis, & clamoribus. Die lunæ ad horam uesperam, cum medijs in uanitatibus uersarentur, apparuit ignis in camera, facile, si quis anniteretur, restinguendus: sed nemo occurrit. Interpretatum est, immisisse Dominum cunctis timorem ut fugerent. Igitur ad gradus festinabant cū clamore uniuersi. Archiepiscopus uix chorea patitur abire, ut compesceret populū: sed immixtus turbæ, nec procedere nec retrocedere quibat. Venere in gradum tanta pressura, ut mole sua necesse esset dare ruinam. Igitur concidit gradus lapideus, cui imminebāt. Ruebant unā plus quam 300 homines utriusq; sexus. Ex omnibus læsus est nemo, præter archiepiscopum, & tres alios. Ille delatus in domum, postera die spiritū efflauit. Ad locum deinde cremationis aspexere. tam pusillum erat incendium, ut puer restinxisset. Hunc inuenit exitum per multas ecclesias transiens Ludouicus, utinam bona pœnitudine excedens.

## C A P V T XXIIII.

**O**snaburgensem ecclesiam post Ioannem 37. excepit Melchior ex duobus de Brunswick, prouisione illi facta per sedem Apostolicam. Iam enim illa uia incœperāt ingredi in ecclesias, maiori etiam nobilitate illustres. Dubium non erat, si electio fuisset capitulo permessa, Theodoricum de Marca comitem, adiutorē episcopi sui, de ecclesia optimè meritū, asumpsissent. Sed quid poterant aduersus Apostolicam prouisionē? Quanquam & illud uenit in suspicionem, quod capitulū, si occultè machinaretur, faueret tamen sollicitati Apostolicam prouisionem, quod notos odimus, fauentes ignotis: fortè erat nonnihil in moribus dicti domini Theodorici, quod formidaret capitulum. Vtcunq; fuerit, dominus Melchior ad ecclesiam peruenit. Arces & oppida erant in manibus memorati domini Theodorici: unde non nisi ære redimi poterant. Multa enim cum fratre impendit in ecclesiā per arduos labores, q̄s exantlauit: renouauitq; multa in mœnibus et turrib. fortaliciorū. Igitur facta conuentione, dominus Melchior episcopus, capitulum & ciuitas, pecuniam expromiserunt, pignora tradentes donec exolueretur: cœpit interim administrare episcopus, sed statim ære inuoluitur alieno. Tradit in pignus arces & oppida, & cœpit esse grauis ecclesiæ. Oritur bellum ad comitem de Hoia. damna uicissim inferuntur: concurrunt aliquando armati. Capitur episcopus, abducitur, grauis pecunia redemptioni præfinitur: quam cum captus præstare non posset, cogitauit dominum Theodoricum de Marca reuocare ad uicariatum, ut eius ope relaxaretur. Defertur res memorato domino Theodorico, iam præposito Coloniēsi. Rogatus non recusat: erant tamen

**A** tamen qui clanculò rem impedirent, quod scirent illum pro industria reni-  
surum eorum conatibus. Iam in dicecelsi agit quisq; quod uidetur: fiunt rapi-  
nae, latrocinia etiam in porta ciuitatis concurrunt, consultat, fit decretum, ut  
quoniam dominum habeant captum, ut relaxetur curandū. Recurritur ad  
pristinū cōsiliū. Dominus Theodoricus de Marca, praepositus Colonienſis,  
assumitur uicarius in spiritualibus & temporalibus. Fit melior rerum status.  
Relaxatur dominus Melchior, omnia sunt in manibus domini Theodorici  
uicarij. Prosperatur negotium in manibus eius. Episcopus nihil agit, sedet,  
intuetur omnia, cum ille nihil potuerit. Splendidè omnia geruntur per uica-  
rium eundem. Sed huius tandè status pertaesus est episcopo: agit omnia ut  
perturbet rerum statum. Proficiscitur Auinionem, procurat ut citetur uica-  
rius, & qui cum illo rem gerebant. Interim uacat ecclesia Suerinensis, & agit  
omnia Melchior ut eò trāseratur. Ita absoluitur ab eo ecclesia Osnaburgen-  
sis, quæ tali pontifice non multum gloriatur. Erat autem tum annus 1376.

## CAPVT XXV.

**M**Indēsi quoq; ecclesiae post tristia fata Gerhardi 2. sufficitur, maximè co-  
operante, & apud summū pontificem Auinione tunc manentē, Otho  
cognomēto Vuettein, militari genere natus ex Misna, decanus ecclesiae Mo-  
guntinae pridem, uir moribus, uirtutibus, eruditione & ætate plurimū pro-  
uectus, ordine pontificum in ea ecclesia & numero 43. Serius enim comper-  
tum est apud ecclesiam, de morte peregrinantis in terram sui pōtificis: diuq;  
nec creditum, nec speratum. ideo ad canonicam electionem perueniri non  
poterat. Vnde factum est, ut cum de morte dicti pontificis prius apud alios  
quàm apud capitulum sit cōpertum, processit de ecclesia apud summū pon-  
tificem prouisio, priusq; poterat ulla electio celebrari: nec malè perinde cō-  
sultū est ecclesiae, si quem per eum modū acceperat pontificē, diu tenere cō-  
tigisset. Praecessit illum fama boni nominis: & non solū quietos esse iubebat  
Mindensis ecclesiae uiros, uerumetiam de uirtutibus & moribus uiri exhila-  
rabat. Mindam inuehitur de more, solenniter per cognationem & manū mi-  
litarē plurimā, in uigilia corporis Christi. Sed non erat diuturnū gaudiū de  
suscepto nouo pontifice. Nam hydrops illum, morbus perniciosus, statim ar-  
ripuit, siue ex aeris mutatione, siue ex natiuo uesicae uitio, siue alia quauis ex  
causa, aut ex omnibus cumulatis, uirū praestantem mox rebus gerendis fecit  
inutilem: unde nihil apud eum memorabile fieri potuit. Nam anno necdum  
expleto, nocte diui Alexij, longa fractus ægritudine, spiritū Deo reddidit,  
collachrymantibus cūctis qui magnā sibi spem fecerant de tanti uiri proue-  
ctione: tumulatusq; est manibus canonicorū suorū in choro fratrum Prædica-  
torū, qd ipse cupierat, anno 1368. Ita se res habent humanae, ut nihil solidū,  
nihil sit certū & perseverans in illis. Sollicita primū ecclesia de peregrino  
& incognito uiro, non potuit non dolere prouisionē factam sine illius con-  
sensu. Vbi per famā cognouit hominis uirtutē, exhilarata expectabat cū de-  
siderio praesentiā eius. Vbi accepit, non est fructa eius diu conspectu: sed ere-  
ptū congemuit, quē suspirabat donatū. Ille uerò stationē permutabat in me-  
lius, transiens in consortiū sanctorū, quo se dignū fecerat sanctis ac ueneran-  
dis moribus: & iam ex alto miserescit eorum, quorum uenerat consolari de-  
solationem. Patronus apud Deum, ut confiditur, factus ex pontifice.

## CAPVT XXVI.

**S**Verinēsis ecclesia crebrius mutabat episcopos suos, propter breuē pon-  
tificū uitam. Nam Marquardo successit in ea ecclesia D. Melchior, dux  
Brunswicensis ex Transsylvanis, filius Hinrici, qui fratrem habuit Othonē in  
Italia militantē, praesertim in regno Neapolitano. Vbi uenit ad nuptias regi-  
nae Ioannē iam senescentis, & post eam diu permansit in regno, ibi moriens:  
quod

quod partim significauimus supra. Aliū quoque fratrem habuit Baltasar, qui secutus fratrem in Italiā, factus est, dum floreret frater, comes fundorū in regno. Sed interea fratris fortuna mutata, cum ille caperet, carceraret, & regno destitueretur, in quo tamen nunquam eum papa uoluit confirmare, uerisimile Baltasar fratrem in comitatu uix permānisse. Per eos dies in diocesi Bremensi, cum praeesset Albertus archiepiscopus, dux Brunswicensis, magna manus nobilium cum Bremensibus caesa est à Rustringis Frisonibus in Blexē. Mauricius pridem administrator Bremensis, Gerhardus, Christianus, Conradus, comites de Aldēburg, cum 700 armatis ibi ceciderunt. Capitaneus terrae Blexem, pollicitus est terram hostilem in eorum potestatem dare, si modò eius ditio ni parceretur. Non annuerunt nobiles memorati. Erant in itinere auxilia illis uentura plurima, non expectabantur: tanta erat fiducia. Diuisae erant copiae, medio flumine interfluente, ideo facilius opprimebantur. Vna erat huius cladis & sequentiū multarum causa, praesumptio uirū & industria, contemptus hostiū. Quid enim, inquiunt, potest rustica manus aduersus armatos equites: nimirum hoc potest, ut sui contemptores, & de se nimium praesumentes perdat. Sic eunt res, sic perijt illa nobiliū armatorū caterua ab inermi plebe rustica. Vix euaserat unus, qui factū nunciaret. Auro suffarcinati nobiles illi dicebantur, quòd preciosa quaeque ex praeda coemere constituisent à gregarijs militibus: tam sibi certam promiserunt uictoriam. In ea qua caesi sunt terra, tumultantur: neminem ad sepulturam educi permisere. Corpore tegebant terram, quam uiui ceperant. Res nimirum simillima recentissimae cladi, quae hoc 1500 anno acciderat in Thietmarcio, quam suis locis commemorabimus. Plurimae insuper inundationes factae per haec tempora, calamitatē inferrebant palustribus & limosis ad mare & flumina terris. Quo etiam tempore Hamburgenses liquore suo per mare deuehendo, certare coeperunt Bremensibus. Specie prima Bremensis liquor deuehebatur, quòd ille maximè tum erat in precio: sed accepta fiducia, cum cernerent Hamburgenses suam quoque cereuisiam amari, falsi sunt discrimen, & suo iam nomine distrahebant. Annus hic erat 74, post 1300. cum nata est contentio inter ciuitatum Bremæ & Hamburgi consilia de prioratu, & inter se ordine in conuentibus publicis asseruando. Allegabant Hamburgenses pro se antiquitatem suam, & quod primi archiepiscopatus honorem accepissent: Bremenses contra praesentibus innixi, non quid olim fuit, sed quid sit hodie intuentum. Qua in re prima tum obtinere Bremenses, in coetu & conuentu ceterarum urbium, qui tum erant Lubeck,

## C A P V T XXVII.

**M**onasteriensi ecclesiae per eam aetatem Apostolica prouisione datus est pontifex, Poto de Potenstein, uir Bohemus, ad hoc prouectus, ut facile cerni potest, fauore Imperatoris Caroli, qui Bohemus ipse, suae nationis homines efferebat. Venerat is cum decenti comitatu, ecclesiam suam inuisurus. Cum propinquaret oppido Hamme, incursionem patitur equitum: quae res non rara tum fuit in ea prouincia, praesertim cum alienigena uenisset in ea ecclesia sumere pontificatum. Multi ex suis uulnerati sunt, & alij capti: ipse uix elabatur, defensus à suis. Et in praedicto oppido morā traxit aliquantam, donec ciues Monasterienses obuiam progressi, honorificè eum deducerent, ut saluum & incolumem in suam ciuitatem comitarentur. Honori hoc dantes sedis Apostolicae, & nihilominus alienigenae uiro pietatem & humanitatem ostendere uoluerunt: ipse tamen cum moribus alienus, & linguae imperitus esset uernaculae, sua sponte elegit abire: translatusque est postea, quod dicemus, ad ecclesiam Suerinensem. Per quae tempora non erat in omni Saxonia princeps maioris nominis Othone Transyluano duce, qui uicto,

A qui uictorias suas undiq; circumtulit, celsitq; illi prosperè quicquid agebat. Terra Brunswicensis cesso Magno, principes habuit impuberes, dicti Magni filios: tutelam suscepit Otto, sed ut apparuit, in rem suam. Quanquam Albertus dux de Saxonia, qui relictam Magni filiam marchionis nouissimi de Brandenburg duxit uxorem, eiusq; filios accepit in tutelam, pollicitus pro illis meliora: sed Otto patruelis legitima tutelam debuit esse propior, utpote agnatione iunctus pupillis. Ergo arcem precipuam Vulfenbüttel accepit possidendam impuberum nomine, ut dicebat: sed recordatus est, maiores suos quã doq; ditione Brūswicensi uolentè exclusos. nō magnopere requirebat quomodo rediret, dummodo rediret ad eius possessionem. Sed maior iuuenum Fridericus, locutus cum nonnullis amicis effecit ut excluderetur, exclususq; ab arce teneretur, succurrente manu ciuium de Brunswico.

## CAPVT XXVIII.

A Alberto per id tempus archiepiscopo Bremensi, ex ducibus Brunswici nato, insignis contumelia inferebatur, autore, ut ferebant, Ioanne decano suae ecclesiae. Nam oritur rumor cum infamia in archiepiscopum grauis, quod sit hermaphrodita, & in utraq; uenerem aequè proptus. Tulit eam rem grauius, ut debuit, & iniquo animo. & questus oratoribus Senatus Bremensis in Osterholte, orabat ne criminatorem suum aduersus se tuerentur. Vix illi redierat in urbem, intellexit decanus quid in se à pontifice constitueretur. orabat senatum, ut securitatem illi aduersus pontificem, in urbe praestarent, perniciem exempli praueinientes, ne quos uellet urbe extraheret. Quod cum non impetraret, mox inscensu curru festinus Verdã concito cursu petit. Nec longè abierat, cum superuenientes missi ab archiepiscopo equites hominem requirebant: quo non iuuento, cum intelligerent abiisse, admissis iumentis, quam properè secuti sunt fugientem, ut retraherent ex fuga. Vix ante illos portam oppidi petiti apprehendit. Vbi manens in reliquum tempus, postea uacante ecclesia, assumptus in eius loci pontificem. Volens ergo archiepiscopus purgatam esse infamiam qua irrogabatur, uidendum se praebuit in balneis multis militaribus, consularibus & ciuibus Bremæ, nec tamen quieuerat ortus semel rumor. Conuocatis suffraganeis suis atq; ecclesiarum praetatis in Hamburgum, plus quam 500 personis iterum uidendum se praebuit. Quo tempore, incredibile est memoratu, quanto splendore & apparatu conuiuantes exceperit: ternis ferculis, uicies multiplicatis, prelatos omnes & nobiles plurimos exhilarauit: ad militares autem, diuisis locis bina toties fercula iussit apponi: reliquos singulis per uicenas uices honorauit, Burgenses omnigenas, laborante curiosissimo coquorum magistro, ante per mensem ad apparatus instruendum. Visebantur arces auratae in mensa, intus uiuae uolucres. Viui quoq; pisces producebantur in ferculis apparatus: pauones, cygniam cocti, iam ad edendum maturi, sua tamen in specie, suis plumis inferebantur. Armati quoq; uiri in mensam edendi sunt statuti. Potus uarij, uino, mulso, medone, cereuisia. Decanus memoratus suam interim prosecutus iniuriam, quod ad capiendum erat petitus, ex arce Meienburg eas intulit clades ecclesiae praedictae, ut ad concordiam urgeret archiepiscopum. Dominus Christianus, frater Conradi de Brückhusen comes, causae arbiter pronunciauit, ut decanus centum adiunctis militaribus uiris, ueniam ab archiepiscopo posceret. Quod ita impletum reconciliauit utrosq;. Sunt tamen authores certi, quod ad eam quaë Hamburgi facta sit ostensionem, necdum sit infamia purgata, contendentibus qui aduersarentur, corruptos fuisse iudices, qui inspiciendi operam desumpserunt, rogati ita ut ex superabundanti longè in ultimis finibus suae prouinciae in ciuitate Sundensi, iterum se uisendum exhibuerit quamplurimis grauib; uiris,

**V**Erdenſis interim eccleſia paſtore uiduata, pōtificem meruit ex miniſte-  
rialibus de Seſterflet, pridem decanum Bremēſem, inde fugatum mō-  
tu archiepiſcopi: uir erat magnæ prouidentia ad cumulandū, diſpēſandum,  
circumſpiciendum ad omnia. Hic arcem Rodenburg alienatā redemit 800  
denariorū, imò marcarum Luneburgenſiū, & ſuprà, à miniſterialib. de Man-  
deslo, qui qualicūq; ratione tenuerūt. Hic quoq; per indiſtriā arcem Keden-  
burg, quā dux Luneburgēſis occupauit, funditus demoliri procurauit. Mul-  
tas decimas, terras & poſſeſſiones ad menſam epiſcopalem ſpectantes, recu-  
perauit: in pecunijs, bladis, carnibus, pecoribus multum proſpexit, ut habe-  
ret eccleſia ad copiam & neceſſitatem omninodam. Quinquaginta curtes  
arabiles & cultas pro uſu eccleſiæ, magno ſuo ære impenſo, comparauit. cu-  
riam epiſcopalem in Verda reformauit, & propugnaculum fortiſſimum in  
arce Rodenburg extruxit. Sedit annis tamen 8. plura facturus in commo-  
dum eccleſiæ, ſi longior illi uita fuiſſet. Exceſſit rebus humanis 10 die Decē-  
bris, anno Dominicæ incarnationis 1388, ſepultus in nouo monaſterio Bre-  
denbeke. Anno pontificatus ſui primo militares de Hoia ingreſſi præfectu-  
ram de Tedinghuſen, abacta præda, igne ferroq; ſæuierunt. Loci præfectus  
ex urbe Brema mutuatus eſt auxilia. Conuenerant numeroſi, ut hoſtibus fa-  
cilè uiribus ſuperiores eſſent. Vbi ſunt inſequi uili Bremēſes, prædam hoſtes  
dimiſere: ſed cum in fuga res geritur, fatigati Hoienſes, quod aliquot noctes  
laborauerunt, à fuga conſtiterunt. Viribus recollectis, qui primi ſequeban-  
tur, temerè ingreſſi prælium, antequam aduentaret multitudo uincuntur: cæ-  
ſis multis, plurimi ex urbe ciues capiuntur, capti mille marcis argenti ſe redi-  
munt. Sed qui in terſuere rapinæ Hoienſes, hac ratione mulctantur, ut amiſſis  
prædijs, quæ illis erat in diœceſi Bremenſi, nihil lucrificiſſe uiderentur.

## CAPVT XXX.

**R**Acebungenſi eccleſiæ per ea tempora præfuit memorandus pater Ge-  
rardus: cuius quia genus non memoratur, plebeio eſſe creditur, ſed in-  
de prouectiori uirtute (quem enim neq; genus neq; cognatio prouehit, uir-  
tus in eo exuperet neceſſe eſt) quæ illum bene natis & magnæ familiæ uiris  
præferabant. Magnus in temporalibus procurandis hic erat: nam prædia o-  
mnia quæ prædeceſſores ſui multa pignori obligabant, ille laxauit, redemit,  
& eccleſiæ uſibus reddidit. Omne æs alienum, quod non paucum erat in præ-  
dijs eccleſiæ, perſoluit, liberamq; reddidit omnem eccleſiæ poſſeſſionem. Ita  
res geritur: unus ædificans, & unus deſtruens, quid proficiunt, ait Scriptura,  
quid prodeſt eis niſi labor: Hoc eſt illud tempus, quo, mortuo Magno duce  
Luneburgenſi, terram illam antè ab Imperatore impetratam, Albertus dux  
Saxonie, natus filia Vuilhelmi nouiſſimi ducis, teneret: qui qualicūq; ex  
cauſa, tum Bremenſi ciuitati aduerſabatur, cum haberet archiepiſcopum Al-  
bertum memorati Magni fratrem. Prædam ex iumentis ex ſuburbanis tulit:  
ſed egreſſi ciues, ita ſe uindictarunt capto oppido Vualfrade, & incēſo, ut nō  
ſe iactaret de lucro. Arcem deinde Drakenburg, unde prodierunt prædātes,  
obſident, oppugnantq; Bremenſes, capiunt, euertunt à fundamētis, quo in  
bello ius dimidiæ arcis in Bederekeſſa acceſſit ex pacto ciuitati. Mox autem  
grauius bellum imminēbat Bremenſibus à uicinis Friſijs, cum duo ex terræ  
domicellis confœderati ciuib. obſides dederant urbi pro tertio eorum cōſor-  
te abſente, quod cum illis & cum ciuitate belli ſocietatem iniret. Conueniūt  
armati, oppugnant orientalis Friſiæ pagos, in caſtellatas eccleſias expugnāt:  
& captum eius loci domicellum Edonem Vuinike, qui ciuitati inheſerat, mi-  
ſeris modis uictor excruciat, Conſecto bello et reb, ex ſentētia Bremenſiū  
peractis,

**A**peractis, redduntur ex urbe obsides. Tota terra præstat sacramenta urbis gubernatoribus. Circa quæ tempora extructa est turris illa lateritia cum ponte ad fluuium Lismona, in loco quem nunc Burgum appellat: nam antea uadum erat nauibus magno itinerantium incommodo & damno trañciendum, nunc uerò pons facilem transeuntibus uiam præbet.

## CAPVT XXXI.

**L**ubicensi ecclesie post Conradum præficitur D. Ioannes Klendeinft, diu ecclesie decanus, iterum atq; iterum electus, cum primam de eo electione frater Nicolaus intercepisset, secundam autem assumptionem illius Conradus fauore Cæsaris præuertisset. Illo mortuo iterum ac tertio eligitur concorditer à capitulo, & à sede Apostolica confirmatus, consecratione accepit. Sed uir grandæuis, & ætate & labore exhaustus, ne annum quidem expleuit in pontificatu, appositus ad patres suos. Quo tempore res omnes per Christianum orbem in deteriores uergebant exitus. Nam in ecclesia Romana pessimum tum schisma parabatur, de quo satis multa diximus: & in Romanorum regem creatus Vuenslaus Caroli filius, quam charo inductus est precio totius imperij, tam illi fuit magno detrimento, omnia imperij iura per Germaniam negligens: nam per Italiam iamdiu erant amissa. Pater eius magnum imperij patrimonium, uel sigalia Rheni ad causam impendit, ut filio fauorem Rheni principum conciliaret: maxima omniū iactura quam unquam sustinuit imperium. sed à quibus nimirum ab illis qui tueri, augere & prouehere debuerant, ab Imperatore tradente, & ab Electoribus inde de suis manibus nullo pacto remittentibus quæ acceperant. Hæc est illa Aquilæ deplumatio Imperialis miserabilis, quam Sigismundus alterius filius, alterius frater, qui despoliuerant, agnouit, uidit, carpsit: sed emendare non potuit.

## CAPVT XXXII.

**E**dem Lubicensi ecclesie post breuem Ioannis sui, sed desideratum pontificatum, quem ter elegerant, & primo pontificatus anno necdum impleto, protinus amiserant, patres elegerunt præstantem uirum, dominum Euerhardum, cognomento Attendorne, in decretis licentiatum, suæ ecclesie decanum, uirum præstanti eius urbis familia natum: cuius germanus frater proconsulatum gerebat, germana soror abbatissa, monasterium diui Ioanis intra urbem regebat, ipse pariter pontificatum administrabat. Eius memoriale est capella insignis cū superiori māsione in Vthin, domui magnæ cohærens, magnis, ut cernitur, impensis exædificata. In episcopali quoq; curia Lubeck capellam extruxit, sed illa nunc cessit insigniori operi: præfuitq; annis 11. ecclesie. Hoc tempore Albertus dux Saxonie adunauit diu differetes domus Saxonie atq; Brunswici: recordabantur enim, nec poterat obliuisci duces Brunswicenses ablati sibi tituli honoratoris in persona Hinrici Leonis abauis sui: sed cum paruulos cum eorum matre sua coniuge suscepisset commendatos, effecit, ut cum adoleuissent, acciperent coniuges de domo Saxonie. Nam Fridericus & Bernhardus fratres, filij Magni, priuigni Alberti, duas sorores filias Vuenslai ducis Saxonie, qui fratruelis erat Alberti, traduxerunt. Multum laboris erat per hæc tempora Alberto de ducatu Luneburgensi: illum quidem tuebatur, sed laboriose: cui etiam, quod in Saxonie diximus, uitam impendit.

## CAPVT XXXIII.

**P**er quæ tempora Mindensis ecclesia pontificem habuit post Othonem, insignem uirum D. Vuedekindum, cognomento de Monte, ex aduocatis uiris militaribus, pridem eius ecclesie maiorem præpositum, ordine pontificum quadragesimum quartum, quem uirtuti & industriae sui prædecessoris canonici electores putauerant exæquandum. Vir in utroq; statu erat præstans, in religione non segnus, in armis strenuus, iura ecclesie suæ tuebat aduersus quoscunq;. Erat illi controuersia cum ducibus de Brunswico, quæ de more gentis

Ec non

non aliter quam armis dirimi poterat. Peruentum est ad arma. Congressis utrinque manu militari, et confligentibus hinc atque inde ferociter, uictoria cessit magnifice pontifici. Victus dux, terga dedit uictori. Sedit hic pontifex in episcopatu annos ferme sedecim, & migrauit ex hoc mundo in uigilia beati Dominici: tumulatus in ecclesia sua inter altaria decem milium Militum, & Sanctorum Ioannis & Pauli, a progenitoribus suis erecta: Anno Christi 1384. Post cuius obitum uacauit ecclesia mensibus septem, per discordiam eligentium.

## CAPVT XXXIII.

**M**agdeburgensis ecclesia, quia Ludouicum non diu meruit habere pontificem, accepit post illum electione canonica praesulem, D. Fridericum, episcopum pridem Mersburgensem, Apostolica uenia inde translatum. Magnifice quidem in ecclesiam introductus est, sed non diu permansit in ea: quippe quem in quadragesima de pristina sua in Magdeburgensem ecclesiam transtulerunt, eum ad festa proxima Natalium Christi sepelierunt. Quo tempore principes omnes per Saxoniam adunati, inter se tractauere de communi omnium tranquillitate, de que pace seruanda, & facienda securitate transeuntibus per itinera publica. Conuenit inter omnes: id que iuramento firmatum est, ut uiolatorem publicae pacis, ius regium absumeret, sineque ulla uenia moreretur: eam que pacem procurauerunt regia confirmatione stabiliri. Sauium est aliquando ea occasione in Comitem de Vuermugrode, sed cito res relapsa est in antiquam malignitatem. Multitudo principum, indigentia nobilium, perdita ministerialium audacia, rebus talibus occasionem, si non causam praestant. Tum quoque in Vuilsnaco oppido Prignissae, hoc est ueteris Vandaliae (sic enim uocabulum contestatur) factus est ille concursus iam supra 100. annos durans, de miraculo cruentarum hostiarum. Multae & magnae concertationes doctorum & bonorum uirorum fuere: & si auaritiam cohibuissent, facile rebus inuenissent modum.

## CAPVT XXXV.

**E**adem Magdeburgensis ecclesia breui mutauit pontificem suum, intra annum pro Friderico accipiens Albertum, natum ex comitibus de Querforde, qui ecclesiae praefuit per annos uiginti: multum sollicitus pro recuperandis, quae per uariam translationem, & breuem suorum praedecessorum administrationem erant uel amissa, uel pignorata, uel aliter grauata: nec modo recuperauit priora, sed adiecit quae non habebat ecclesia, plurimas arces cum praedijs adiacentibus: seruauitque quod in eo fuit, cum omnibus pacem, nec se passus est diuelli a ciuibus suis, quos sensit sibi ad ardua profuturos. Extiterat tamen ad finem pontificatus sui causa, qua in Rodolphum superioris Saxoniae ducem bellum consurgeret, uel ex finibus ortum, uel ex alijs causis, quae in Annalibus non memorantur. Coepere in alterutrum leuia praelia multa fieri, excursiones, incendia, captiuitates, praedae: quae cum multo crebriora de parte ducis orirentur, pertaesus aliquando bonus pontifex molestiarum quae suis inferebantur, uim ui repellere cogitabat. Ex ministerialibus suis quantos poterat armauit, ciues Magdeburgenses & Hallenses ad consortium belli uocabat: nec segnes illi domino suo paruerunt, quem diu suis rebus habuere morigerum. Venitur in conspectum hostium, acies diriguntur, signa canunt, acriter concurrunt: quod potuit uirtus fecit, fortuna suas quoque partes habuit. Archiepiscopus minor erat: nam eius de parte multi caeduntur, capiunturque: fugiunt qui poterant. Eius praelij discrimen diuersos habuit, archiepiscopum & ciues suos. Sed quid opus est multis? Suo se aere redemerunt: quia tamen spem dedit archiepiscopus uni ex filijs de successione ad ecclesiam, quod in eo fuit, ea res magnitudinem ex postulati aeris uehementer minorauit.

**S**uerinensi ecclesie post Melchiorum, ex ducibus Brunsvici episcopi, quem fraga auidè nimis peresa perdidit, pontifex præficitur Poto Bohemus, Apostolica auctoritate & imperatorio favore ex Monasteriensis ecclesia translatus ad Suerinensem. Capitulum illi restitit, quoad potuit: elegerat enim decanum suum, D. Ioannem Iungen, qui arces ecclesie tenebat. Poto autem quomodocumq; destituebatur, licet Apostolicas literas præferret, ad possessionem nunquam peruenit. Transierant tamen anni sex à morte Melchioris proximi pontificis, ad exitum huius Potonis: qui qualis fuerit, ignoratur. Nisi quod uerisimilis præstat coniectura, illum rediisse uel in urbem, uel in Bohemiam, quò iam Carolus Imperator morte excessisset, non habuisse qui illi magnopere assisteret. Obierat Melchior anno octuagesimo primo. De hoc autem Potone scribitur, quò octuagesimo septimo de ecclesia laborauerit, qui fuit sextus à morte prædecessoris. Hoc tempore cum Albertus dux Saxonie de terra Luneburgensi plurimum laboraret, ad arcem pugnans Richeling, machina ictus in crure, mortem obiit, & Vuenslaus fratruelis eius successit in ducatum de Luneburg. Is erat socer amborum principum de Brunsvico, Friderici & Bernardi: & tamen acerrimo deinde bello conflixerant, cum dux prudenter se retraheret, dissimularet que rem omnem, permittens ministerialibus terræ ac ciuibus Luneburgensibus, qui tum magnum aliquid præ se ferebant, ad terræ gubernationem. Quippe quibus opus erat ad tuendam partam libertatem, in deiectione montanæ arcis supra suum caput, favore principum plurimo. Catharina Alberti relicta, Cellæ arcem propter nuptias possederat: unde etiam repellere eam tentauere Luneburgenses: sed magno prælio uicti, retro abierunt. Hæc plenius in Saxonie.

**E**odem anno D. Ioannes Iunghe, decanus Suerinensis, electus à capitulo, sed impeditus à Potone Apostolico prouiso, arcem tenebat Butzow, quæ est ecclesie primaria, ubi à propria familia in ea arce est interemptus: & uacauit iterum ecclesia. Penè exciderat, quò in Saxonie omisimus, bellum ea tempestate grauissimum, inter socerum & generos. Vuenslaus dux Saxonie, princeps Elector, terram tenuit Luneburgensem: quam sui iuris esse Brunsvicenses sunt arbitrati, quò ea lege primi fratres Ioannes & Albertus, ditionem sunt partiti, ut ex alterutris ad alteros utraque recideret. Nam & titulum communem ambo tenuerunt cum posteritate, sicut hodie tenent, ut quamuis sit discreta ditio, unus tamen amborum est titulus. uterque enim se Brunsvici & Luneburgi ducem scribit. Vuenslaus præsidium firmavit ad Alram, cuius hodie sunt non nulla uestigia in uilla Vuinsen. Obsederat quoque Cellæ arcem cum oppido. Urbici Luneburgenses, quò opus erat, fortiter inhaere Vuenslao, aduersus duces Brunsvicenses, quorum oculos semper urebat delecta arx montana. Fridericus ex fratribus ducibus senior, defensus arcem, & obsidionem soluturus, in qua mater claudebatur, Brunsvicenses suos ciues interpellat: uiderint qua rerum angustia premantur, matrem etiam hostes suo iure depellere tentent, doleant uicem eius ac fratris, in affectum ueniat materna iniuria, sumant secum arma, procedant in hostem, memorem se semper futurum in se obsequiorum: affuturum sperent Deum iniustitie uindicem, oppressorum defensorem. Suadet, ac persuadet. Sumunt arma Brunsvicenses, suis principibus assistunt. Fridericus atque Hinricus duces fratres, suis ministerialibus, & quos ex uicino poterant euocare, stipati, peditem ualidum ex Brunsvico, & nonnullos equites habuere, hostibus obuiam sunt progressi. Ad Alram fluium obuios hostes in Vuinsen habuerunt.

Ibi inuito conflictu, fortiter certatum est diu. Volitauit incerta uictoria: de-  
 mum Brunswicensibus aduolauit. nam uictores facti, profligauerunt aduer-  
 sarios partis Luneburgensis. Tum ad fugam uersi, spem habent: desierunt in  
 pugna. Captus ex agmine Luneburgensis ducatus, episcopus Mindensis,  
 & comes de Hoia, aurati ex uictoribus milites creati, eminebant. Ex illo  
 praelio magnum urbi Luneburgensi & diuturnum prouenit detrimentum.  
 Tempore ex illo duces Brunswici emerferunt. Captus erat a ministerialibus  
 ecclesiae Hildesemensis Bernardus, frater ducum de Brunswico: aderant ni-  
 hilominus ducibus in hoc praelio, qui captum fratrem tenuerunt. Lunebur-  
 gensium aere luisse ferunt illum captiuitatem, & redemisse libertatem. Haec etsi  
 aliena sunt a proposito, quia tamen hoc tempore memorabiliter patrata sunt,  
 ad annum octuagesimumoctauum, post millesimum trecentesium, & in  
 Saxonia nostra tam explicata non fuere, non poterant sine culpa hoc loco ta-  
 cite transiri. Ad huius praelij aduersam fortunam diu retulere Luneburgen-  
 ses aes alienum, quo rem suam publicam grauauere: unde postea ecclesijs  
 multa deperierunt.

## CAPVT XXXVIII.

**H**Alberstadenſi eccleſia poſt Albertum prouenit Erneſtus epico-  
 pus, ortus ex comitibus de Honſtein, uir ſeuerus & induſtrius, & iuxta no-  
 men ſuum grauis. Erat illi aſſiduum bellum in Fridericum ducem Brunſui-  
 cenſem, aequè grauem & ſeuerum principem, & qui nihil diſſimularit aut  
 minorationis, aut iniuriæ. Nulla unquam compoſitione adeò firmari potuit  
 inter eos familiaritas, aut integritas reformari, quin leuiſſimis ſemper cauſis  
 diſſiliret. Nam quod aiunt phyſici, & monſtrant, duo acumina ſiue mu-  
 cronæ non ſe patiuntur contingere. Præfuit eccleſiæ ſuæ per annos decem,  
 durus & intractabilis pontifex: eodem deficiens anno, quo & Fridericus ſuæ  
 uirtutis æmulus. Quo tempore principes Brunſuicenſes in anguſtum coar-  
 tati, cum ditio illis abeſſet Luneburgenſis, quamuis proxima elati uictoria  
 emicuerint, cogitarunt tamen quomodo ad iuſtam ſui ducatus Luneburgen-  
 ſis redirent poſſeſſionem. Oppidum Luneburgenſe obuſum uidebatur,  
 quò duci Saxoniae Vuenslao præcipuè inhaereret: hoc edomito, facilem ad  
 reliqua uiam ſunt arbitrati. Oppidum Viſen multorum conuiuentia occu-  
 parunt, per occaſionem quam in Saxonia diximus: inde publico itinere ob-  
 ſtructo, detrimèta fuere ciuitati. Ligna quidem ad ſalinam plurima illis neceſſa-  
 ria aberant, armis ad introducenda ſumpſerunt. Hoc ſcientes duces, magno e-  
 quitatu egreſſi de Viſen, incurrerant, ceperant, cæciderant. Erat in miniſte-  
 rialibus accerimus illis hoſtis, qui quotquot per agros ex oppido inuenerat,  
 mutilatos aut pede aut manu, remittebat: multi ex oppidanis ea ſigna refere-  
 bant. Interuenerè nonnulli ex militibus, qui compoſitione inita, ducem pla-  
 cabant Saxoniae, ut dimitteret Luneburgenſem ducatum generis ſuis: & red-  
 dita eſt terra Hinrico & Bernharδο ducibus, cum Fridericus frater teneret  
 Brunſuici. Incredibile eſt memoratu, quàm ſubitò poſt bellum tranquillitas  
 & quàm grata redierit, quanta annonae, quanta com meatuum in præ-  
 cio uilitas: ouem ſolido denario, bouem quatuor modò ſolidis coëme-  
 runt. Oppidum Luneburgenſe ex eo die ducibus ſuis quàm pulcherrimè  
 eſt obſecutum.

## CAPVT XXXIX.

**P**Aderburnenſis eccleſia poſt Simonem poſtulauit Rupertum, primoge-  
 nitum Vuilhelmii ducis de Monte, cui iam antè prouiſum erat de eccleſia  
 Patauienſi ad Danubium. Durum inde bellum excitatum. nam erat, quem du-  
 ces Auſtriae efferebant ad illam: pro Ruperto ſtabant duces Bavariae, cognati  
 eius. Quindecim meſes tranſierunt, priuſquam ueniret Paderburnam:  
 ſape

A saepe uocatus à suo capitulo. Per eius absentiam excitati raptores, incendiarij, homines inquieti, ad solitum quaestum redibant, hi potissimum cum quibus reserat Simoni praedeessori: quorum primipilarius, Fridericus de Patberck iunior. Creuit eorum superbia, ut ponentes os in caelum blasphema-  
rent: nam S. Liborium ecclesiae patronum euiratū ferebant, ut resistere non au-  
derent. Gerardus de Spegel, aliàs praefectus ecclesiae, ad tutelam nimis impro-  
uidus, nuper captus est: ordinati sunt alij qui rem curarent militarem, ne quid  
detrimenti acciperet ecclesia. Congressi hostibus capitanei noui, & ipsi capiuntur.  
Ecclesia in angusto posita, inuenit consilium ut salutem ex inimicis accipe-  
rent: ipsum Fridericum caput hostium accepere defenforem, obligata illi arce  
Dringenberg pro redemptione captiuorum. Inter haec dominus Urbanus  
Papa, ad instantiam ducis Austriae, de ecclesia Patauiensi transtulit Rupertum  
ad Paderburnensem, & uenit Paderburnam, solenniter introductus. Erat  
iuuenis imberbis, super caniciem senum prudens, & ingeniosus, magnani-  
mus, iustus, Deū timens, & in pauperes liberalis. Tantae uirtutis, ut breui dif-  
fusus uirtutum eius rumor, timorem ingesserit latronibus raptoribus que. Re-  
spexere in illum principes & comites, & barones non solum Vuestphaliae, sed  
omnis Saxoniae. Prima eius opera, ut exoluta pecunia arcem Dringenberge  
de manibus Friderici memorati reciperet. Fridericus iam accepta pecunia  
cum cerneret se administratione destitutum, nec esse liberum exercere ueterem  
quaestum, cum multis complicibus, qui sibi nomen indidere Bengheler, quod  
fustes argenteos ad pectus praeferebant, insidiati sunt Ruperto: ad extremum  
etiam hostilia nunciabant, arcem Forstenberg sine custode uacua apprehen-  
derunt, in ea praesidium habituri: sed Rupertus nihil moratus, arcem obsidio-  
ne concludit. Durante obsidione, qui cum multis foris agebat incendia, latro-  
cinia, rapinas, sine discrimine sacrorum & prophānorum agebat: redibat praē-  
da onustus ab ecclesia in Vernden, tendens in praesidium suum Patberg. Sci-  
ens Rupertus, suos in obsidione relinquens, tacito itinere cum expeditis ad op-  
pidum Buren occurrit. Collata manu confligit, & illam latrocinantiū manu  
numero septuaginta octo cum capiteo cepit. Tanta erat elatio mētis, ut faci-  
tarent duodecim ex suo numero praualere octodecim ex Paderburnensibus.  
Inde sumpserunt proverbium, Octodecim Paderburnenses efficiunt solidum, is  
est nummus duodecim denariorum. Mirati sunt dum caperentur, quod pa-  
ri numero uincerentur. Potuit maiorem produxisse manum ex castris: sed nunci-  
ciabatur episcopo, non tantam esse quantam inuenerat manum: & tamen ui-  
cit, cum agmini suo inessent Burgeneses, quos illi minoris semper faciunt. Pro-  
digij loco habitum est quod acciderat: nam capreolus incurrens agmini uicto-  
rum, fractis ceruicibus expirauit. Mutationem inde fortunae augurabant. Ob-  
fessi cum audirent suorum fortunam, arcem protinus reddiderunt. Diem ui-  
ctoriae, festum per singulos annos Rupertus instituit.

## CAPVT XL.

EX illo die tranquillitas redijt ecclesiae: nam fautores & adiutores Frideri-  
ci aperti & occulti animos posuerunt. Herboldus de Brobeke, ad cuius  
arcem pugnans Simon praedeessor occubuit, missa legatione, ueniam, gratiam,  
reconciliationem postulauit: magno aere exoluto, impetrauit. Conradus Spe-  
gel miles, & ipse gratiam quaeritabat: ad speciem assecutus, sed nō penitus. In-  
de cum principibus nobilibus & praelatis per Vuestphalam, Saxoniam & Has-  
siam crebros conuentus egit, ut pacem terrarum procuraret. Consensere, ac  
iurauere omnes ad annos duodecim: tum qui superessent, de continuanda co-  
gitarent: nam potuit interea multorum conditio permutari. Interim Frideri-  
cus de Patberg suam ac suorum redemptionem molitus, de summa conuenit:  
impetrataque sub fide uenia ad eam conquirendam, aceruauit & remisit: sed ipse

redire, & de more iuramentum præstare recusauit, hostilia etiam nunciando episcopo: uiolauit perinde pacem publicam, iuratam & approbatam. Qua ex re omnium iusto odio laborauit. Vnde factum est, ut uicini omnes iunctis armis, arce cui fidebat, circumfederent oppugnantes. Oppidum facile cœpere, fugatis propugnatoribus. Cumq; arce diutius retinenda spes obsessis defuisset, D. Rupertus peste affectus in castris, finem uiuendi fecit: & capite posito, iam opus erat membra spargi. Igitur soluitur obsidio, & ad tumultum cum magno ciuium planctu deducitur optatissimus omnium pontifex. Non est uisus aliis similis uniuersorum luctus in morte unius hominis. Omnes ordines, ætates, status sine discrimine, uiri ac fœminæ planxerunt, quasi super unigenito: exteri cum incolis. nō erat qui nō sibi lamentum desumeret, pro optimo ac desideratissimo pontifice.

## CAPVT XLII.

Verinensis ecclesia, iam à suis cæso D. Ioanne Iungē electo, accepit successorem D. Rodolphum ex ducibus Magnopolensibus, præfuitq; ecclesie suæ per annos uiginti septem. Quo tempore ignauissimus rex Romanorum ac Bohemiæ Vueneslaus, cum nihil in omni regno uigilantiæ ostēderet, soli uentri ac uoluptati inseruens, pertæsi omnes illius gubernationis, imò perniciosæ dissimulationis, & dormitantis fœcordiæ, proceres regni fratris Sigismundi regis Vngarię, si non iussu, tamen assensu ceperunt, & in arce Pragensi asseruandum curauerunt, ne si nihil in regnis boni uellet, nihil etiam mali posset efficere. Succreuit per ignauiam eius, indignissima lues hereticæ prauitatis, ex ipsa Praga ortum ducens, dum illi omnia in æquo essent, habenti in quo suam uoluptatem expleret. Ioannes alius, germanus eius, dux de Gorlitze, indignatus quod se contempto tam audax facinus proceres in dominum suum essent aggressi, magno exercitu coacto ita detonuit in authores eius consilij, ut protinus nisi excindi uellent, captum dimitterent. Bene actum cum uniuerso Christianismo, deinde Romanorum regno, si ignauum hoc pecus in uulua matris interijisset, lucemq; nunquam aspexisset: pro qua pater patrimonium Imperij, ut successorem suum faceret, impendit, qui Christianismo uirus maximū enasci, Romano regno irrecupabilem iacturam procuraret.

Sed nihil inuitis fas quenquam fidere diuis.

Meruit ecclesia flagellum de uisceribus suis, quando non unum caput in terris honorabat. Non satis illius calamitati, Turci, Tartari, Sarraceni fuere ad supplicium: nati sunt de medio Germaniæ sinu Bohemi, qui illam afflictarēt. Sed hæc plenius in Vuandalia nostra.

## CAPVT XLIII.

Verdensis ecclesia post Ioannem meruit pontificem ducali origine, Othonem, filium Magni, germanum Friderici, Henrici, Bernardi, ducū Brunswicensium & Luneburgensium: qui ecclesie huic non diu præfuit, translatus ad Bremensem. Tum ualuit translatio, nunc meliori consilio fit ecclesiarum cum mulatio. Aetate nostra non dimisisset Verdensem: ea retenta in commendam, transisset ad aliam, titulo episcopali regendam. Inde multo tum innocentior erat illa ætas. Memorabile quod in ecclesia peregit, hoc erat, quia ecclesiam maiorem consecrabat, quæ stabat dudū sine consecratione per annos multos. Consecrauit autē die Lunæ in Paschalibus ad annum 90. sed transtulit Dedicationis diem in tertiam dominicam post festa Pentecostes. Transiens ad Bremensem, omnia quæ prædecessor suus in arce Rodenburg reliquit, secum in dioecesim Bremensem transportauit, & ecclesiam Verdensem nudatam in paupertate reliquit: sed moribus eius facile potuit ecclesia carere. Othone autem, ut præmittitur, ad Bremensem ecclesiam translato, & arce Rodenburg nihilominus in sua potestate retenta, D. Bonifacius in sua obedientia Papa 9. prouidit de ecclesia cuidam domino & magistro Theodorico de Nym: qui descendens in prouinciam

A ciam, & curiam episcopalem in Luneburg in possessionem accipiens, grauissimè contra dominum Othonem, propter detentionem arcis Rodenburg, processit Apostolica autoritate: & in hoc negotio, ut uisum est doctioribus, plurimum desæuiens, suos contra se subditos ad inuidiam prouocauit, qui apud sedem Apostolicam per submissas personas pro translatione eiusdem magistri Theoderici ad ecclesiam Cameracensem laborarunt, bona sua commutatione. Ex quo facto magister Conradus de Vechta, post factus archiepiscopus Pragensis, in locum eius, per præfatum dominum Bonifacium Papam, ecclesie Verdensi præfectus per capitulum & clerum pro iure suo admissus, arcem tamen Rodenburg, aut aliquorum ecclesie bonorum nunquam est adeptus. Pendente causa inter præfatos dominos Theodericum & Conradum, D. Conradus Soltow, magister in Theologia, locum D. Conradi de Vechta per prouisionem dicti Romani pontificis subintravit: possessionem arcis Rodenburg cum difficultate, quia duos contra se habuit competitores, accepit. Quo tempore anni 99 post 1300, coeperunt indulgentie Bremis impetratae, durantes per annos continuos octo. Qui autem fuerit apparatus ostendendarum de suggestu reliquiarum, foris ad occiduas partes tabulato in forum spectante, quod hodie uisitur quanta solennitas in conuentu, quantus mortalium concursus, incredibile est memoratu. Extat tamen eius rei, ut ferunt, non leuis memoria in codice rationali structurarij. Hic est annus nouissimus Alberti archiepiscopi, qui fuit sedis suae tricesimustertius: nam inde transiuit ad uitam, ut confidimus, & longiorè & meliorem, cum præter profusionem conuiuiorum nihil ferè moribus eius & gubernationi poterat à quouis opponi. Tanta tamen fuit illa, siue profusio, siue prodigalitas, siue dapsilitas dici debeat (omnibus enim his uocabulis abutebantur, prout quisque defuncti famam uel obscurare, uel tegere, uel illustrare cupiebat) quod in tantam egestatem perduxerit ecclesiam, ut in Romana curia, procuracione archiepiscopi iuris beneficium de rebus cedendo, cum es alie num omne persoluere non posset, cogeret implorare. Principi certè calamitosum profugium. Inde uerò nata est occasio impetrandarum à pontifice, quarum erat largus, pro ecclesia indulgentiarum.

## CAPVT XLIII.

Otho Magni ducis, qui frater erat Alberti, prædecessoris filius, frater Frederici, Hinrici, Bernhardi, ducum Brunswicensium, pontificatui Bremensis ecclesie succedit, translatus de ecclesia Verdensi, quam annis penè octo gubernauit. Ex capitulo nonnulli contulere uota sua in Ioannem Monnick, maioris ecclesie præpositum: sed præuenere nuncijs Othonis postulati, & opitulantibus nonnullis apud summum pontificem ex maioribus, confirmationem pro Othone obtinuerunt. Eximia laus huius pontificis, quod cum primò attigisset administrationem huius ecclesie, magno & incredibili zelo purgauit prouinciã malis hominibus, qui per incuriam prædecessoris, & per bellorum licentiam supra modum excreuerunt. Accessit laudi eius, quod singulari diligentia pontificale in ecclesia officium ipse peregit, & peragere curauerit in suo quemque gradu. Arces cum præfecturis à patruo impignoratas, magno ære redemit. Quippe Albertus, ut diximus, plusquam satis erat sumptuosus, pauca reliquit in diocesi prædica non ære obligata alieno: sed iste institit cuncta redimere. Arcem Ottersberge nonnulli tenuere ministeriales, qui bonis conditionibus reddere detrectarunt: magno impendio archiepiscopus uocatis armis illam obsedit: nihil profecit, circumfluente riuo profundissimo Vuummen, qui crescebat quotidie, fecitque munitionem inexpugnabilem. Soluta obsidione, ciues Bremenses interposita compositione, effecerunt ut res ex sententia pontificis ageretur. Inde uerò arcem aliam Langedel cum alijs ministeriales tenuissent, dolo an necessitate incertum, in alienas manus contulerunt: & inde in potestatem Hinrici de Brunswick, qui germanus erat archiepiscopi, deuoluitur. Erat autem, ut fit,

simultas inter fratres. Indignatus supra modum archiepiscopus in fratrem, A  
 questus est amicis longinquis & vicinis, fratris in se perfidiam. Quid multa?  
 non nisi solutis trium aureorum milibus recipere potuit: sed praelati ac ministe-  
 riales annuerunt per diocesim archiepiscopo collectam ex agris, ut per aratra  
 fieret contributio: ita rustica plebs omne onus supportat pro nobilitate.

## CAPVT XLIII.

**M**onasteriensis ecclesia, post Potonem Bohemum inde translatum ponti-  
 ficem, accepit Heidenricum Vulff: qui primùm pastor erat in Hertfel-  
 de, postea factus scholasticus ecclesie Monasteriensis: inde etiam prapositus,  
 pro eo quòd res ecclesie strenuè ac legaliter administrauit. Electus in episco-  
 pum, difficulter obtinuit confirmationem Apostolicam, propter factiones fri-  
 uolas delatorum: consequutus est tamen. Et consecratus episcopus, diocesim  
 suam prudenter rexit: & multas difficultates perpeffus, forti & constanti ani-  
 mo perstitit, & ferè in omnib. uictor euasit: sed morbus, quem tympaniten di-  
 cunt, (genus est hydropicis) uictor eius fuit. Erat tum in summo pontificatu  
 non us Bonifacius, uir intèger, fortis, iuuenis, Neapolitanus, inter illos cardina-  
 les creatus, quos Urbanus Luceria multos creauit in regno: inter quos erant,  
 Moguntinus, Treuirensis, Coloniensis, archiepiscopi: sed illi galorum non ac-  
 ceperunt, remittentes cum honore: in quibus multi Neapolitani, quorum erat  
 præcipuus iste. Coronatus autem & consecratus, statim confirmauit ea quæ e-  
 rant decreta ab Urbano: de iubilæo in trigelimo tertio, de festo uisitationis Ma-  
 riæ, de indulgentijs ad reuerentiam corporis Christi, Dominum Adam cardina-  
 nalem recipit Anglicum: & reuertentem de Auinione, cardinalem de Rauenna  
 restituit. Arcem S. Angeli magna parte desolatam purgari, renouari, firma-  
 ri iussit. Comitem Fundorum, qui initio schisma stabiliuit, penitus extermina-  
 uit. Ipse Romanis, non ut Papa, sed ut rigidus Imperator dominabatur: mul-  
 tos sibi ex illis de perfidia suspectos, per iustitarios fecit occidi. Capitolium &  
 palatium suum uehementius communiuit: nec fuit ante eum pontifex, qui ta-  
 lem in Romanos potestatem exerceret. Inde mortuo in Francia Roberto An- B  
 tipapa, moritur & rex Franciæ. Filius eius nouo pontifici obedientiam præsta-  
 re distulit, monuitq; ut unionem ecclesie procuraret. Sed in amentiam uer-  
 sus idem rex, persistere non potuit: per lucida tamen interualla nõ cessauit ad-  
 monere, effecitq; persistens, ut multi fierent neutrales: permanuitq; ea neutra-  
 litas in partes Flandriæ & Brabantie. unde ciuitas Leodiensis in usitatis gratijs  
 à Papa Bonifacio collectis, mota est, ut & ipsa à Bonifacio recederet, & neutra-  
 litatem amplecteretur. Sed hæc interim.

## CAPVT XLV.

**R**aceburgensis interim ecclesia pontificem accepit Detleuum, genere mi-  
 nisterialium, de Magnopoli ortum, qui liberalitate, ne dicam sumptuosi-  
 tate sua, ecclesiam intolerabili ære grauauit alieno. Amicis & cognationi suæ  
 plurimum deditus, illos locupletare contendit: sed ecclesiam reliquit pauperrimam.  
 Multa etiam bona ab ecclesia alienauit sine spe recuperandi. Multa tamè  
 uicissim in decimis, uillis, curtibus, cæterisq; prædijs coëmit. Fuit tamen homo  
 per omnia Deo deuotus, ut si profusione sua & largitate ecclesiam damnifica-  
 uit, magis ex simplicitate & inaduertètia, quàm uana iactantia fecisse credatur:  
 quanquam id ipsum in irrecuperabile damnum ecclesie redundet. Transiuit  
 tempora sua, & in pace quieuit D. Detleuus, cognomento Parkentyn: inter o-  
 ptimos pontifices numerandus, si non illi sua profusio obstitisset. Interim Bo-  
 nifacius curiam suam inauditis gratijs magnificare contendit: cognationi suæ  
 & ille plurimum permisit. Indulgentiæ feruntur miris modis diuenditæ, us-  
 que adeò ut bonos uiros tæderet eius largitatis: & sunt perinde multi per-  
 moti ad retrahendum illi obedientiam, ut se in neutralitatem collocarent.  
 Episco.

**A** Episcopatus plurimi per Alemāniam, istius pontificis temporibus uacauerūt, multis que ecclesijs non merita personæ præferebantur. Mira tum uisa est in dispensationibus largitas, religiosi mendicantibus ad ecclesias, ad beneficia, ut essent monachi proprietarij: ut qui ex mendicantibus, ordine suo dimisso, centum aureos persolueret, ad ordinem quemlibet introiret. Mirum unde Papa uoluit illum aliquid soluere, qui nihil habuit, aut saltem nihil habere debuit. In expeditione pro episcopatibus tum infinita coepit exigi pecunia, ad quadraginta, quinquaginta, sexaginta, octoginta milia aureorum. Anticipator fuit iste nostrorum temporum: necdum enim erant annuata.

## CAPVT XLVI.

**H**ildesemensi ecclesiæ post Gerardum præficitur nobilis, uir uenerandus, Ioannes, natus comitibus de Hoia, præfuit que ecclesiæ suæ per annos uiginti sex uaria fortuna. Confregit præsidium sub arce Vuinsenburg. Prælio magno uictus est apud Gronden. Ministeriales quoque eius temporibus his hostibus uicti subiacerunt. Præfuit iste pridem annis quinque ecclesiæ Paderburnensi, & ab ea translatus est ad hanc Hildesemensem. Literæ autem super translatione eiusdem D. Ioannis in Romana curia expediebantur, & ipse parabat profectiōem, & transijt ad ecclesiam Hildesemensem. Quo tempore domus fratrum Carthusiensium in Arensbokē, & in uicino Rostock loco sunt inchoatæ, ad annum Christi millesimum trecentessimum nonagesimum octauum. Begardi, & secta Flagellantiū reuouatur in Italia, qui se nodosis flagellis cruciarunt, transijt que in Germaniam, ac per cæteras regiones graues & intolerabiles errores disseminarunt. Mirabilis que populorum motus per hæc tempora fuit in Italia. Nam omnis ferè multitudo in Cisalpina Gallia uno motu, uestes albas & lineas, ad pedes usque protensas, cum capitijs more religiosorum, quibus facies uelabant, induit. Qua commotione & nobiliores uiri simul & foeminae, principes, episcopi, prælati, clerici que ac religiosi cuiusque ordinis ducti, incredibili deuotionis ardore in simili habitu incedere tentauerunt. Horum dealbatorum longa agmina ad uicinas urbes cōmeabant, & processionaliter bini ac bini pergentes, pacem & misericordiam supplici clamore sæpe ac sæpius inuocabant: hymnos cantabant, quam maximè repetentes orationem rhythmicam, Stabat mater dolorosa. Durauitq; is motus menses ferè tres, incertum unde initium sumpserit. Primi in Italia Lucenses fuere, utriusque sexus induti albis ad tria milia. Compertum est, quendam sacerdotem fuisse authorem, qui tantam modestiam in uultu & uerbis præ se ferebat, ut ab omnibus sanctus haberetur. Illum tamen Bonifacius pontifex apud Viterbium iussit comprehendere, et tanquam supersticiosum, ad se perductum, igni iussit exuri. Horum autem crucifixi imaginem, quam ante se ferri fecerant, Lucenses hodie cum maxima ueneratione conseruant. Catharina quoque de Senis tunc floruit, quæ anno ætatis duodecimo, Prædicatorum ordinis tertij regulam subiit: & mirabiles uictorias in abstinentia & uisiones habuit, quam Christus desponsasse dicitur annulo quatuor margaritarum, & in summitate adamantem habente. Dominus illi cor dicitur extulisse, reddens illi suum. Mansit in latere cicatrix. Anno ætatis trigesimo peractis multis miraculis, Romam deuotionis gratia inuisens, finem ibi fecit uiuendi, & in monasterio de Minerua tumulatur. Quam Papa Pius anno sexagesimo intra sanctarum collegium iussit adnumerari. Festum eius quam sanctè percolunt fratres Prædicatores.

## CAPVT XLVII.

**L**ubicensis autem ecclesia post Euerhardum, alium accepit pontificem, dominum Ioannem de Dulmen, ecclesiæ Lubicensis scholasticum, Doctorum doctorem, sacri palatii Apostolici caussarum auditorem. Datus est

tus est autem provisione pontificis, non electione capituli. Erat uir miræ probitatis, pacem ubique zelans, etiam cum suo detrimento. Venit ad ecclesiam, susceptus perbenignè, uir dignus eo loco. Emit curtem cum pertinentijs in uilla Gamel centum marcis, & tres alias curtes in eadem uilla sexaginta marcis impensis: & perinde plenè liberauit uillam à militaribus, qui multum antè dominabantur in ea. Et quoniam per indiligentiam, zelo pacis quo ferebat, multa dissimulanter transiuit, quæ præiudicium ecclesiæ ferebant, insecutor eius conuenit exequutores eius, & omnia ferè ab eo relicta sibi obtinuit consignari. Sedit annis uigintiuno, regens ecclesiam, & quieuit in pace. Exorbitabat eo tempore supra modum Romana curia in exhauriendo prouincias auro, inauditas indulgentias & gratias incredibiles conferendo. Curiales autem Apostolici impetrantes, miserabiliter iactabantur. Litigabant coram auditore. Sententiæ duæ ferebantur pro una parte. In tertiâ instantia mandatur auditori, ut imponat parti perpetuum silentium. Neq; per cancellariam opus erat literas expedire: compendiosior erat uia per cameram, dato quod sonaret & fulgeret. Restum noua, sed nostra ætate benè inolita, ut hoc seculum adinuenisse credatur, quo hoc nostrum modò utitur. Sed hæc frustra querimur.

## CAPVT XLVIII.

**O**snaburgensis ecclesia, post dominum Melchiorum translata in ecclesiam Suerinensem, electione libera assumpsit in episcopum suum, pridem præpositum, D. Theodoricum de Horne, uirum magnanimum, sed qui duras haberet partes ecclesiæ gubernandæ, quòd D. Theodoricus de Marca, magno ære erat quietandus, quia de suo plurima impendit ad redemptionem capti D. Melchioris episcopi, & ad reliquas ecclesiæ necessitates. Mira res, cur in electione non sit habita ratio eiusdem D. Theodorici de Marca, qui tam bene meritus esset de ecclesia Os naburgensi: quam etiam altera uice penè solus exemit miris difficultatibus, unde emergere suis uiribus nunquam potuisset. Sed conijcio de temporum ratione, quod non legi, fuisse non paucos, neque eos de minoribus, qui uirtuti eius inuiderent, qui ue timerent asperitatem eius, si pontificatum accepisset. Potuit & illa causa fuisse, quòd episcopatum illum tantis perplexitatibus inuolutum non ambiret, cum sciret quid illi immineret. In summa, cum pecuniam accepisset, aut pro non accepta teneret pignora, uenit episcopus Theodoricus ad administrationem. Sed maior illi aduersarius fuit Otho de Tekeneburg comes, qui dotalicio teneret ecclesiæ prædia, quæ à nobili de Lippia focero accepisset. Postulauit episcopus reddi ecclesiæ iura sua, comes detrectauit. Fit durissimum bellum atque atrox, adeò ut de sanguine certaretur, captos que inuicem necabant suspendio. Sed ea res placito partium antiquatur. Capiuntur, emunguntur inuicem argento: & usque adeò fit atrox bellum, ut nullus exitus uideretur. Fiunt inuicem inter partes tractatus. Inuentus est, qui auderet deponere, episcopum solo ministerico ecclesiastico occupandum, ordinaret clericos, consecraret ecclesias, & reliqua quæ sunt ordinis exerceret: comes Otho esset patronus & defensor ecclesiæ, cum filio Nicolao. Sed inter patrem & filium tanta erat concordia, ut saepe conaretur patrem capere filius. Id quod ætate nostra factum recolimus in eadem domo. Theodoricus uerò laborando, circumspiciendoq; effecit, ut de manibus comitū ea quæ sunt iuris ecclesiastici extorqueret. Orta simultate inter clerum & populum Os naburgensem, super oneribus quæ diu portauere ciues, per bella & redemptions prædiorū, uoluerè à clero de patrimonialibus subsidium. Clerus allegauit priuilegium: res per arbitros est terminata. Theodoricus autem episcopus senio fractus, emigrauit.

**M**onasteriensis ecclesia tum pontificem habebat Othonem, ex comitibus de Hoia, qui pridem ecclesie præpositus talem se gerebat, ut episcopatu dignus ab omnibus iudicaretur. Hic uir erat armorum amator, bellis gerendis, quam ecclesijs administrandis, aptior. In armis satis fuit fortunatus, hostes Monasteriensis ecclesie ferè ad exterminium profligando, & capiendo: ex quorum bonis, prædijs, arcibus & oppidis fines ditionis ecclesiasticæ mirificè ampliavit. Potentiam comitis de Tekeneburg, qui semper grauis erat ecclesie, ad ultimum eneruauit, ut deinceps Monasteriensis episcopus facile cum illo agat: coëgitq; ut eum in ciuitate Monasteriensi supplex adiret, condiciones pacis sibi dictandas accepturus: alioqui illi formidandum fuit, quod in alijs cernebat, totale exterminium. Talibus enim opus est pontificibus per uices, qui postquam ecclesia gladiū temporalem accepit, destruant: nisi facerent, quæ est audacia militarium, non sinerent uel unum ecclesijs mansum pacificum. Nam gladius iste spiritalis, si solus sit, multis contemptus est: si accesserit alter, erit ut duplici manu pugnans, facilius superet: quomodo olim Beniamitæ uiri gemini, utraq; manu pro dextra, ut scribitur, utentes, Iudic. 20. Reliquit Ocho iste immortale nomen in ecclesia sua pro ditionibus quas addiderat ecclesie, pro autoritate quam reuocauerat in ecclesiam, cum iam penè uenisset apud multos ecclesia in contemptum.

## CAPVT L.

**P**aderburnensis ecclesia morte Ruperti uiduata, capitulum elegit nobilem uirum, D. Ioannem de Hoia, fratrem episcopi Monasteriensis. Tum Fredericus de Patberg, iam creatus auratus miles, cōgregato exercitu adiutorio comitis de Marca, diocesium Paderburnensem flammis & rapinis peruagatur: Oppidanos de Borgenrick, ne urerentur, pecunia emungens. Oppidum Lichtenou immisso igne concremauit: & nisi fortes uiri fuissent in muris, oppido omni potiretur. Interim electus armatorum adunato agmine ex amicis: sed quoniam mora interuenit, priusquam cōuenirent, hostes elongarunt: inde uerò collocatis opportunè insidijs, Fredericum cum duobus fratribus cepit, uinxitq; in carcere. Alter Frederici fratrum, ære luit captiuitatem suam. Fredericus cum altero fratre elabitur: sed cum esset æger pedibus, retrahitur in captiuitatem: & ære magno persoluto, cum fratribus, & omnibus adhærentibus, cogitur ecclesie facere iuramentum fidelitatis in futurū. Priusquam tamen iste transferretur ad ecclesiam Hildesemensem, de consensu capituli & quorūdam ministerialium suorum, paciscitur cum Hermanno de Euerstein comite, post eius mortem comitatum permittere ecclesie Paderburnensi. Contractum consummauit, & assignauit comiti ad uitam suam arcem Dringenberg cum oppidis & uillis, ab ea parte syluæ Oesing sitis. Et deinde capitulum de consilio eiusdem domini Ioannis, postularūt ad sedem Paderburnensem Vuilhelmū, filium Vuilhemī ducis de Monte, fratrem quondam Ruperti episcopi cōmendatissimi, cuius dulcem seruauere memoriā, iuuenem infra octodecim annos agentem: & assignauerunt illi arcem nouam cum omnibus pertinentijs, ab una parte syluæ memoratæ. Inter hæc, cum literæ Apostolicæ super translatione D. Ioannis supradictæ in cancellaria urbis expedirentur, & nemo super prouisione cuiusquam electi ad ecclesiam Paderburnensem, apud sedem Apostolicam instaret, D. Bertrādus de Aruassanis, canonicus ecclesie Rauenatensis, natione Lombardus, de ciuitate Ferraria, doctor decretorum, auditor Apostolici palatii, episcopatum Paderburnensem à pontifice impetrauit: & literis expeditis, Paderburnam ueniens, quorundam fauore, qui per eum potestatem in temporalibus credebant sibi uendicare, à capitulo multis mirantibus est receptus, die 28. mensis Octobris, anni nonagesiminoni. Sed quæ inde prouenerint, infra,

Caput

**M**indenſis autē eccleſia pontificem habuit hoc tempore tertium Othonem, natum militari genere, cognomento de Minda, ueteri proſapia, pridem præpoſitum montis S. Mauritiꝝ extra muros Hildeſemenſem, ordine & numero pontificum quadrageſimumquintum. Tempora tum turbulenta, & Romanæ pariter & uniuerſali eccleſiæ pernicioſa, tum inſtiterunt, de ſchiſmate peſſimo, quod domini Galli excitarūt, dum in urbe Roma, mortuo Gregorio undecimo, pontificem ſuæ nationis non ſunt aſſecuti. Urbanus autem ſextus extra numerum cardinalium aſſumptus, pontificatum gerebat, apud quem aſſecutus eſt iſte Mindenſis eccleſiam ſuam: nam illius curiam in Neapoli aſſectabatur. Quo etiam tempore Gerardus Hildeſemēſis epiſcopus, Carthuſiam apud ſuam ciuitatem erexit, ut eſſet exemplum ante oculos clero ſuo de carne tundenda, et inſirmanda, ac ſubiuganda, ut pareat ſpiritu. Cumq; Romana eccleſia de ſummo pontifice laboraret, iſte pontifex tranquilla tempora habuit: rei ad ſe non pertinenti ſe non immiſcuit, ſed quantum potuit, ſe faciebat alienum. Sedit in eccleſia ſua annis 14. tumulatus in medio choro maioris eccleſiæ ſuæ, ueteri monumento primorum pontificum. Hic ſit huius uoluminis modus, ne decurrens in immenſum, ſaſtidio paratus ſit, & contemptui.

FINIS LIBRI DECIMI.

## LIBER VNDECIMVS

CAPVT I.



**A**d nouum, quod curſus monſtrat, ſeculum, iure bono, nouo ordimur libro, tempora pontificum ſequētia recenſentes. Ad annū 400 poſt 1000. ſedente Othone archiepiſcopo Bremeniſi, inchoata eſt inſtrui in ſummo altari tabula argentea inſignis, ad honorem Dei & patronorū, ex oblationibus fidelium, quæ prouenerant ex indulgentiis tum datis eccleſiæ, ut diximus, Bremeniſi. Animaduerſum eſt à nonnullis prudentibus, bellorū tempore theſaurum illum comparari, ut mutuū inde ſumatur ad eccleſiæ neceſſitatem. Inde conuenit inter capitulum & ſenatum, ut nulla eccleſiæ neceſſitate quicquam ex ea tabula contingeretur: idēq; literis firmatum eſt. Sed quid facies poſteris? Bremeniſes inde Phriſonum querimonias audiere, qui nouiſſimo bello in ius & ditionem ciuitatis ceſſerant. Querebantur autem de his qui Iadam fluuium accolunt, Buttiadas uocant: & cum æquis conditionibus accuſati nō parērent, urbis gubernatores uocabant in partē Aldenburgenſes comites, et miniſteriales diœceſis, & hoſtilia nūciauere pertinacibus, quod terram tribus agminibus ingreſſi, tripartitā prædam agerent. Coëgerūt incredibiliter multa pecora. Homines uerò terre incolæ, qui primum ingredientibus ſe obſectauere, facile ceſerunt, cæſi, capti, fugati. Pontem inſtruunt, connexis in ordinem nauigijs: appoſitoq; præſidio cuſtodientium, & diuiti præda locupletati, reuertuntur. Sequenti anno Bremeniſes, necdum bello pacato, aſſumptis de Delmenhorſt & Depholt comitibus, iterum terram ingrediuntur eandem: uicinis Friſijs iam ultione ſaturatis, quod ſanguinis effuſionem horrerent. Ingreſſi autem, nō minorem ac prius prædam abegere. Otho autem archiepiſcopus, ut Hadalerios in fide contineret, nouam molitur arcem, quam etiam congruo uocabulo Nouam domum appellauit. Tempus hoc illud erat, quo Gerardus dux Slefuiſenſis in Thietmarſia cæſus, cū copijs ſuis, quod in Saxonia diximus, reliquit tres filios impuberes, quibus tutandis Henricus, frater Gerardi, comes Holſatiæ, electus Oſnaburgēſis, properauit in Holſatiā ex Oſnaburga. Cumq; Bremam pertran-